

TARTU ÜLIKOOL · UNIVERSITAS TARTUENSIS · 1632

Instruction om the Tolken af gudz ordh som i förbemälte Konungar
öfwer Israels Lyke skola i gudz församblingh förklarade werdha.

På then 21. Januarij wti städerna i Aftonsången Exod: Cap: 1. Hwn Pharao
förtryckte Israels barn medh list, ther man kan lära hwn swår och o-
drägelig bördha tassa uti träldom wrider från landes wäld, såsom
wåra fäder för hundrade åhr sedan werkte. Ther ser wee och owilkel
wara förmanade till öfwerigheten sina sinder som ordhsken ähr till sådana
straff. Psal: Gudh står i gudz församblingh.

I högmässan Cap: 14. Hwru gudh förde Israels barn genom Röda ha-
wet: man Pharaonem förderfwade han, och allt hans folk. Ther man
kan lära, at gudh plägar hårdeligen straffa them, som förtryckia
hans försambling, och frelsa sina barn af alt sorgfulla farlighet.
såsom han för hundrade åhr sedan gjorde wåra fäder. Derföre wij
honom hiertteliga tacka skola, nu och i alla wåra lyckedagar. Psalm:
O herre gud beten tin macht.

I aftonsången Exod: Cap: 15. at Uersen 22. ther Moses tacka gudh
för förlösningh, så skola och wij ihugkomma then förlösning gudh
giordt medh wåra fäder, och alle godt hafwer oss sedan bewist
komma alt för stora wälgerningar, tacka honom therför af hiertat
at han alt in till werldenes ända sådana barmhertighet öfwer
oss continuere wille och i synderligh hindra och afwärja then skadeliga
pestilentz som sigh wthi landet någorstädes yppar. Wälsigna gu-
dom sinn skall i alla stundh: &c

På then 21. Febr. wthi städerna i aftonsången 2. Paralip. 19. a Uersen
4. ad finem. Om K. Josaphat hwru han reformerade och wäl bestälte
både then werldeliga och andeliga ståndet. Ther wij skola ihogkom-
ma then reformation som plägdes för 100 åhr sedan och påminna
oss hwru gudh skulle wara fader af then päwerska mördhut
och Baly alle i godt Lag i Regementet och församblingen.
Therföre oss bör ähra och prisa honom till ewigheth. Similis
Textus est. 2. Paralip: 15. Psalma O herre gudh tin helige ord.

140.

I högmässan 2. Paralip. 20. hwru Josaphat Kref Wring Hwrsfl
medh sinder, och hafwer han medh sin folck gudh om hielp
och bistånds, så skedde han och genom hwa hans ofänner. Ther
kan man ihogkomma hwru then sahr gädt i wårt fädernesland
och hwru gudz hafwer underligen hielpit alle till Lätta, och bå-
nat både Regementet och församblingen in till thenne dagh
wti besynnerliga farliga tijder, och bidia han wille oss altijdh
sådan faderlig barmhertighets bewisa, och för alla onda plägor
nådeligen beskiydda och bewara. Psalmen Wår gudh är oss en.

I afftonsången then. 65. Psalmen. Hwilken är en troll nyttig
till gudz för then han förlåter synderna, och låter wäll af lyck
ligen gå i alla ståndet. Therföre kan gudz försambling förma
nas till at göra then samma i thenna tid, för sådana wälgerning
och i synderhet bidia, at gudh wille nådeligen afwärja och wända
then swora syndastraffet pestilentzien, som sig nu någorstädes
yppar i landet. Psalm: Min siel schal loffwa Herren &c.

På then 21. Martij. wti städerna i aftonsången: Deut. 8. Ther
Israels barn förmanas till herrans fruchtan, till at frucksta gudh
af hiertat, så mycket the ähre wille af landet som the canaaiter
fördanfwa warda. Ther af kan man förmana till sann gudz fruchtan
och låta sig wardan Landets och städers förpröfningar
all straff och olyckor komma: Namliga at swenskiorna wela
ähre låta gudh anda regera sig, och fruchta herran. Psalmen
Kommer här och låter oss herra gudh prisa.

I högmässan Deut: 11. a. Uersen 8. ad. 29. Ther Israels barn förma
nas till att höra gudz ordh och till at loffwa then ewer-pig
them måtte wälga på Jordenne. Ther kan läraps om gudz
wards flitiga hörande, om it gudaktigt och ärligit leffwerne
af hiertat följer all lycko och wälsignelse. Psal: Himmelsalen
tu herliga stadh, prisa &c.

I afftonsången Psal. 132. Hwilken är en hiälpandes tall, at wäll och
lyckeligen måtte tilgå i alla ståndet. Ther med man kan bäst

(h 1875)

LEGES SVECORVM GOTHORVM, QUE

Per Doctorem RAGVALDVM INGEMVNDI,
Eccleſiæ Archidiaconum Vbſalenſis. Anno M.
CD. LXXXI. latinitate primùm donatæ;

Nunc autem

Zelo Patriæ illuſtrandæ IOHANNIS MESSENII,
à multiplici Librariorum errore fideliter vindicatæ,
priſtino tamen tenori & candori relictæ, luci
publicæ cum Legum Indice locupletiſſimo conſecrantur.

STOCKHOLMIÆ

Typis Chriſtopheri Reuſneri typographi Regij.

ANNO CIↃ. IↃC. XIV.

BIBLIOTH:
ACADEM:
DORPAT:

Serenissimo juxtà ac Potentissimo principi Domino Gustavo Secundo, Suecorum, Gothorum Vandalorumq; Regi designato, Domino meo clementissimo,

Sicut etiàm

Nobilissimis, Amplissimis Prudentissimisq; viris & Dominis,

DN. *Magno Brahe Comiti de Vvisingsborg, & Baroni de Ridboholm ac Axholm, Regni Dapifero, Legiferoq; Vplandiæ,*

DN. *Abrahamo Brahe Comiti de Visingsborg, Baroni de Ridboholm & Lindholm, Legifero Vesmanniæ,*

DN. *Axelio Ryning de Thuna, Regni Marschalco & Legifero Sudermanniæ,*

DN. *Georgio Gyllenstiern, Baroni de Lundholmen & Byrkesund, Regni Ameralio & Legifero Tiustiæ,*

DN. *Axelio Oxenstiern Baroni de Fiholmen, Regni & M.R. Cancellario, Legiferoq; Bothniæ Occidentalis,*

DN. *Nicolao Bielke, Baroni de Salestad & Legifero Smalandiæ,*

DN. *Iohanni Erici de Broxvvyk, Castellano Calmarnensi & Legifero Vermelandiæ,*

DN. *Gustavo Stenbock, Baroni de Cronebeck & Oerestен, hæredi de Torpa & Lena Legiferoq; Tiherensi,*

DN. *Iohanni Achatij de Biurum, Cameræ rationum Consiliario,*

Domino Erlando Beronis de Scatmansoe,

Domino Boëtio Ribbing de Sœby,

DN. *Nicolao Andreæ de Fordala, Cameræ supputationum Præfidi,*

Senatoribus Regni Suecici clarissimis fidelissimisq;, Dominis & Mecænatibus suis plurimùm observandis,

Salu-

Alxd.
Tartu Riikliku Ülikooli Raamatukogu 1661

Salutem & felicitatem sempiternam.

QVanta justissimarum Legum sit in contubernio Mortaliũ necessitas, Rex Serenissime, vosq; Senatores Amplissimi, præ reliquis politicæ æquitatis præconib. divinus ille Plato hac ratione nobis liquidò manifestat: Necesse est leges hominibus ponere, ut secundum leges vivant; Etenim si absq; his viverent, nihilò à feris atrocissimis discreparent: Neq; immeritò, siquidẽ Lex velut anima sit cuiusq; optimè institutæ Reipub. salus municipum, vinculum officij, & summa ratio quæ hominib. æqua suadens, iniqua conatur extirpare, undè virtutũ quarũ libet fidelissima iure reputatur custos;

Quocirca à prudentissimi quiq; populorũ & regnorũ Moderatores, hoc Legũ sanctissimarũ probè animadvertentes emolumentũ, quavis mundi labentis ætate, & ubicunq; fermè regionũ huiusmodi iustitiæ amusses, & inculpatè vivẽdi normas, subiectæ semper præfigere cõati sunt plebeculæ: Enimverò Athenienſibus Draconem & Solonem, Ægyptiis & Æthiopibus Quintum Mercurium, Cretensibus Minoem, Lacedæmoniis Lycurgũ, Tyriis Charandem, Romanis Romulum, & Italis pythagoram Leges hac religione quondam condidisse, indubitato colligitur Historicorũ testimonio; Quorum deindè aliorũq; sapientissima Statuta, ad alias progressu temporis vel integra, vel nonnihil immutata permanarunt pedetẽtim Nationes; Quẽadmodùm inter cæteros admiran-

mirandus ille Zamolxis, in diuturno Pythagoræ obsequio perceptas fideliter æquitatis Normas, ad suos Patriotas gentem Scytharum postliminiò reversus, illi studiosè inculcavit; Hinc Scytharum populus ipsius saluberrimis auscultãs dogmatibus, non paucorum Scribentiũ calculo promeruit deinceps Mortalium æquissimus compellari.

Proindè quandoquidem vetustissimorum quorundam, eorumq; celeberrimorum suffragio Chronographorum evidẽter liqueat, præsertim verò Isidori, Iosephi, Iacobi Bergomensis, Hermanni Schedels, & Petri Trecensis, Scythas Suecos, Getas & Gothos eundem prorsùs extitisse semper populum, aliarum duntaxat Nationum idiomate variato compellatum nomine; Ideò infallibili nobis licet coniecturâ nunc colligere, primas fermè Suecorũ Gothorumq; Leges à Zamolxe conditas, quibus illi posteà diuturno seculorum decursu illibatè fruebantur, donec progrediente tempore Suecorum Gothorumq; Reges, aliquam pro temporum & rerum conditione his mutationem intulerunt, partim ex jure Natuali, partim Divino, Canonico & Imperiali advocatam: Nam Ingo II operâ prudentissimi Legislatoris Vigeri Spad, circa annum salutis DCCCC. insignem Iuris Suecici emendationẽ perfecit; Cuius deinceps exẽplo atq; necessitate compulsi Ericus VIII, Olaus Skotkonung, Stenchillus, S. Ericus, Canutus anno M.CLXVIII, Carol. VII, Ierlerus anno MCCLI. non mediocrem Iuris Suecici quoque apparârunt reformationem, gentilitatis abominationibus indè passim extirpatis, illud

illud Legibus Christianis conformantes: Tandem rex Birgerus consummationi ejusdem adhuc plurimùm deesse comperiens, anno M.CCXCV. viro æquissimo Domino Birgero Petri, Divæ Birgittæ parenti & Legifero Vplandiarũ, XII Legum peritissimis viris ipsi auxilio assignatis, revisionẽ Legis commendavit, quam feliciter postmodùm absolutam, sequenti anno diplomate suo confirmavit:

Verùm Christopherus Sueonum imperio potitus, cùm insignem iustitiæ perturbationem in Republica Suecana hinc advertisset provenire, quòd provincia Regni quælibet fermè peculiaribus in eum diem auscultans Legibus, à memorati Iuris œcumenici non mediocriter exorbitaret observantia, ut illam ataxiam & difformitatem velut Regno perniciosam quantociùs exturbaret, Sueciaq; Iuris absolutissimum unanimis sequeretur tramitẽ, Reverendo inprimis viro D. Nicolao Ragualdi Archipræsuli Vbsalensi, anno M. CDXLI. exactam Legis Suecicæ commisit compilationem; Ideoq; mox Antistes Regiæ satisfacturus voluntati, ex dispersis & vagabundis provinciarũ Legibus, primaria Iuris documenta decerpens atq; corradens, unum generale Legis volumen concinnavit, vigore diplomatis Regij protinùs roboratum, Regiâ inhibitione pariter appositâ, nè quispiam Suecorum & Gothorum aliarum obsequeretur impostèrùm robori Constitutionum: Huic proindè mandato morem fideliter gerentes, illi & ipsorũ posteri hunc Legum Codicẽ in hodiernũ usq; diem, in quibuslibet dirimendis controversiis usurpa-

ũsurparunt & obædienter auscultarũt; Excepto tàmen iure isto Ecclesiastico velut Romanæ doctrinæ conformi, à quo Sueones secundum prisci dogmatis renovationẽ sibi eminùs abeundum decreverunt: Cuius ea propter sicut etiàm universi Juris Suecici, gravibus de caussis Potentissimus rex Carolus IX. in generalibus Norcopiæ Comitiis, anno M. DC. IV. concordi omnium Ordinum assensu statuit revisionem atq; illustrationem; Atqui mortis subito præoccupatus imperio, illius decreti executionẽ Posteris assignavit, suo ea ex parte de Iuris præfati limatione satisfaciens tantùm voto, quòd sine præfata castigatione illud, non absq; eximio Indigenarum emolumento, anno M. DC. VIII ex prælo calchographico primus publicaverit, cùm aliàs operâ Amanuensium duntaxat admodùm difficulter & rarò Sueonibus obveniret.

Hoc autẽ æquitatis Suecicæ Gothicæq; volumen, clarissimus vir Ragvaldus Ingemundi, Decretorum Doctor & Archidiaconus Vosalensis, CXXXIII ab hinc annis dictione latinâ donavit; Simplici quidem genuinum tamen obscurissimi contextus sensum diligenter exprimẽte, & cuivis Latij idiomatis vel leviter gnaro obtutu primo manifestante: Quam vulgari æditioni fideliter accommodat translationem, nisi quòd duo subindè capita brevitati studens in unum contrahat, vel, occasione invitante, ad oportuniorem quæda traducat locum, integritate, sententiâ & authoritate operis omninò tamen illibatis. Verùm illa versio rudium interea tem-

temporis Librariorum erroribus tantoperè fuit obscurata, ut vix aliquam indè nunc cuiquam Legum Suecicarũ mentem licuerit eruere; Ideò permultos iuris Suecici aliàs studiosissimos, latini exemplaris inemendata, & Suecici nimiùm obscura ob vetustatem locutio, ab illius scrutatione frequenter deterruit. Quamobrem partim quidem illorum, partim etiàm aliorum crebrâ exhortatione, sed præcipuè proprio erga patriam illustrandã provocatus amore & ardore, hunc Librum ab innumeris propemodùm errorum tenebris vindicatum, & velut denuò lunone secundâ partum, pristinæ contextus synceritati, non absq; plurima corporis & ingenij sæpius desatigatione restituendum, atq; pro uberiori patriæ lucro etiàm ex typo mihi desumpsi publicandum, promeritam Tuæ Maiestatis gratiam, Vestrarumq; Amplitudinum favorem, aliorumq; benevolentiam qui de hoc, aliisq; elucubrationum mearum pænè quotidianis sudoribus, ad Natalis soli illustrationem affatim profusis, candido & benigno pectore arbitrantur, certo certius expectando:

Sicut etiàm Supernæ & Tuæ Majestatis, Vestrisq; Amplitudinibus innocentiæ & diligentiæ meæ patrocinium submisse commendando, ac obnixè petendo ut hos qualesquales pro Tuæ Majestatis, & Vestrarum Amplitudinũ inprimis, deindè patriæ præconio atq; bono publicatos conatus, gratiosâ & consuetâ in me captare nõ dedignemini propersione: Cuius voti compotem ideò potissimum me reor evasurum, quòd iustitiæ patrocinium agam apud æquitatis Legum q; Suecia-

Suecicarum singulares Patronos, quorũ pectora juris & æqui scrinia, cùm Rex animata Lex, & Senator justitiæ conservator & amator: Hanc proindè in vestros properantem amplexus admittite, conservate admissam, & cuiq; administrate conservatam: Sic Deo quod Dei est, Cæsari quod Cæsaris reddetur; sic luent debitas adulteri pœnas; sic legitimis ab iniquo possessore refundẽtur prædia & ædificia hæredibus; Sic legitima vigebit negotiatio, atq; justitiæ in quolibet foro administratio: sic deniq; Majestatis rei pro meritis plectentur, homicidæ, sicarij atq; fures ad condigna supplicia rapientur: Hæc summa Legis Suecicæ, & Norma moderãdæ feliciter Reipublicæ; Imò hoc universum Iuris opus, & meæ dictionis tandem scopus. Vale itaq; Rex potentissime, vosq; patriæ Patres amplissimi: Stockholmiæ Calendis Ianuariis, anno felicitatis humanæ CIↃ. IↃC. XIV.

Vestræ Regiæ Majestatis,

Nec non

Vestrarum Amplitudinum

Subiectissimus & fidelissimus servitor

Iohannes Messenius

LE-

Leges REGNI SVECIAE ET GOTHIÆ,

OLIM LATINITATE DONATAE.

LIBER PRIMVS DE JVRE SVECORVM Gothorumq; Ecclesiastico.

CAPVT I.

De Ecclesijs ædificandis.

OMnes christiani tenentur credere Christum verum Deum, neque alios præter ipsum esse Deos; Nemo itaque Idola colet, aut in lucis & lapidibus fiduciam collocabit; Ecclesiam quilibet Christianorum venerabitur, ad quam omnes mundum ingredientes & egredientes deportandi: Salvator n. noster Christus præcepit ecclesiæ ædificationem, & decimarum solutionem,

atq; Adam cum filiis ſuis primus decimas dedit, & Salomon primò fabricavit Eccleſiam. Eccleſia ergò cùm de novo fuerit ædificanda, parochiani qui illam ædificare deſiderant, unà cum eorum presbytero Epiſcopum adeant, licentiam petituri; Atque ſi ad hoc ipſis facultates ſupperant, quod Epiſcopus diligenter conſideret, obtentâ veniâ, domum redeant ad parochiam quam inhabitant, & terminum præfigant incolis, quandò labores fabricæ cuiq; parochianorum aſsignandi: Et ſecundum quod quis eſt in terrarum, vel agrorum poſſeſsione locupletior, ità ſit ad ædificandum aſtrictus, & labores fiant juxta numerum perſonarum, in parochia domicilia habentium.

Si quis autem parochianorum, labores ad quos tenetur perſolvere contempſerit, poſſunt tunc Eccleſiæ tutores, pignora recipere, pro primo die quo intermiſerit opus, denarios IV. pro ſecundo IV. pro tertio ſimiliter IV. Nec eo minùs ſic contemnens, labores omiſſos adimplere tenetur, & hæc facere liceat ipſis tutoribus, abſque cujusvis judicis decreto, vel mandato. Si quis autem contumax fuerit, & plurium dierum quàm trium labores omiſerit, tunc pro laboribus ſatisfaciet & ſolvet III. marcas in pœnam, quæ cedant Eccleſiæ pro

pro ſtructura. Qualitercunque autem quis contumax fuerit in his quæ ſpectant ad ſtructuram Eccleſiæ, aut ejus fundum ſeu manſum, etiamſi ad ejus domicilium parochianis tutus non pateat acceſſus, poterit tamen per presbyterum à ſacramenti perceptione ſuſpendi. Presbyter denique qui Eccleſiam ædificaverit de novo, ſine ſui Epiſcopi licentia, parochianorumque beneplacito & aſſenſu, puniatur mulctâ IX. marcarum, quorum III. cedant Eccleſiæ, III. Epiſcopo, & reliquæ III. parochianorum uſibus applicentur.

CAPVT II.

De fundo presbyteri, & domibus illi, Eccleſiæque neceſſariis.

ERectâ ergo Eccleſiâ à fundamentis, & usque ad pinnaculum conſummatâ, requiritur fundus ſeu manſus, in quo debeant erigi ædificia pro habitatione presbyteri, cum aſsignatione agrorum per presbyterum colendorum: Quod ſi itaque Eccleſia fuerit inſignis, conſtituens cum adjacentibus Eccleſijs Contractũ unum, pro manſo una; Sin autem talis non fuerit Eccleſia, dimidia deputabitur illi marca terræ, quæ debet eſſe ab omni onere libera; Pro

terra verò quam habet Ecclesia, expensas faciant aliarum terrarum seu agrorum in eadem Ecclesia possessores. Quod si Ecclesia in agris, aut terris plus habuerit, soluat pro eis omnes expensas qui eos colit, nisi Rex super hoc dederit Ecclesiæ libertatem. Assignato ergò manso, requiruntur domus quæ sunt numero septem, I. est hypocaustum, II. stabulum, III. horreum, IV. granarium, V. promptuarium VI. dormitorium VII. bovile ad usum boum.

Si contingat deindè inter presbyterum & ejus parochianos, litem oriri super domorum numero, an sit sufficiens, aut insufficiens, dicente presbytero, non esse de domibus à lege statutis sibi provisum, parte alterâ contrarium asseverante, vocentur tunc duo presbyteri viciniores, & duo alterius Ecclesiæ parochiani, & quod ipsi dictaverint pro jure servetur. Domibus tandem benè constructis, tenetur presbyter illas suâ impensâ conservare, ostia reficere, & juxta vires suas, nè ejus culpâ ruant, aut deficiant, providere, & in quibus domos reficere potest, omnia suis impensis faciat. Quod si culpâ presbyteri domus aliquæ corruant, tunc presbyter illas reædificet, & tribus marcis ab Ecclesia mulctetur. Si autem parochiani dixerint

rint domos presbyteri culpâ ruisse, presbyter verò negat, vocentur tunc duo vicini presbyteri, & duo parochiani, qui de hoc cognoscere possunt, prout suprà est expressum. Nullus quoq; presbyter curiam quam inhabitat nomine Ecclesiæ, ad alium locum transferre præsumat, sine Episcopi licentia speciali, & parochianorum consensu, nisi hoc facere velit expensis suis, parochianos vel Ecclesiam in nullo gravando. Presbyteri deniq; & Ecclesiarum coloni tenentur pontes reficere, agros sepibus munire, & vias ampliare, vel pœnas secundum leges solvere.

CAPVT III.

De Paramentis Ecclesiæ, utpote libris, calicibus & campanis.

Sunt insuper Ecclesiæ necessaria ecclesiastica ornamenta, ut sunt indumenta sacerdotalia, & altarium cooperimenta, calices, corporalia, & horarum Canonicarum libri: Nullus verò presbyter libros scribi faciat, vel emat sine sui Episcopi licentia, & parochianorum consensu, nisi hoc facere velit sumptibus suis. Requiritur etiàm ut Ecclesia campanas habeat, quò populum evocet ad divina officia. Quod si Ecclesia in quibusvis defecerit

fecerit ornamentis, Episcopus tunc cum consensu parochianorum providebit, commutando decimas Ecclesiæ, & emendo quæ necessaria fore noscuntur: Et sic Ecclesia benè ornata; debitum apparatum obtineat cum clausura.

CAPVT IV.

De Consecratione Ecclesiæ, & provisione pro adventu Episcopi facienda.

REstat ut Ecclesia dedicetur, quod nunciandum est Episcopo, qui tenetur ad Ecclesiam accedere, prius tamen parochianis terminum sui adventus statuere: At quem parochiani victualia contribuere tenentur, aut XII. solvere, si malint, marcas pecuniæ; Nisi Ecclesia non habuerit plures parochianos quàm XXX. tunc solvant tantùm VIII. marcas. Si autem Episcopus non venerit, procuratione pro eo factâ, possunt tunc parochiani eum accedere, ipsi terminum præfigentes quo debeat ad Ecclesiam consecrandam venire. Quod si Episcopus non curaverit termino sibi præfixo venire, possunt tunc parochiani, ea quæ pro adventu Episcopi comportata sunt, in suos proprios usus convertere, & Episcopus consecret Ecclesiam quandò voluerit absque

absque parochianorum nova contributione aliqua; Nisi fortè dùm sibi terminus præfixus fuit, legitimo tenebatur impedimento; Quod si Episcopus Ecclesiam consecrare noluerit, conveniant parochiani Episcopum coram Rege.

Episcopus dénique ratione perceptionis decimarum, gratis tenetur chrisma conficere, calices, indumenta sacerdotalia, Ecclesias, cœmiteria & altarium ornamenta benedicere, non plus pecuniæ, aut contributionis, quàm dictum est indè percipiens. Presbyter verò advenientem sustentabit Episcopum, & non parochiani: Sed Episcopus se habeat ad curam animarum, prout pater ad educationem filiorum.

CAPVT V.

De Parocho instituendo, & si Parochiani discordes super illo fuerint eligendo.

ECclesiâ ergò consecratâ, parochiani præsentabunt presbyterum quem volunt, si concordes fuerint; Cujus scientiam & legitimam ordinationem considerabit Episcopus, & illi Ecclesiam conferet, si ità fuerit visum. Quod si parochiani non fuerint in præsentando concordes, adibunt ipsi Episcopum

scopū, petendo ut Ecclesiæ de parocho provideatur, tenetur tunc illi Episcopus Ecclesiam conferre, cui ipse favet, & qui in illa Ecclesia dignoscitur Jus patronatus habere: Postquàm autem presbyter assumptus est, de Episcopi & parochianorum consensu, assignabunt Parochiani Ecclesiam presbytero, & ipsius Ecclesiæ ornamenta, quæ presbyter deindè campanario demandabit.

CAPVT VI.

De officio Custodis, & si ejus negligentiâ Ecclesia patitur furtum, comburitur, aut campanæ cadunt, & de jure campanarij.

SI Ecclesia patitur furtum apertis januis, campanarius damnum Ecclesiæ rependat, si ad rependendum sufficit: Sin minùs, tunc ille qui custodem elegit seu deputavit, damnum rependat: Nullus presbyter præsumat exportare indumenta Ecclesiæ pro celebrandis Missis, nisi parochianus ejus, aut parochiani uxor infirmatur, & tunc si quid perdiderit de indumentis, aut alijs rebus, quas pro celebratione Missæ secùm tulit, satisfaciat tunc presbyter Ecclesiæ pro medietate perditorum, & parochianus ad quem ibat, seu ejus uxor, pro reliqua medietate.

Si autem Ecclesiam contingat comburi igne, quem campanarius importavit, purget se tunc campanarius juramento XVIII virorum, quòd incendium accidit fortuitò, & non negligentiâ suâ, & solvat VII. marcas, quæ est pæna casus fortuiti; Et tradatur illa pecunia ad manus tertij, & fiat executio pænæ istius, sicut in alia casus fortuiti, quæ fit ratione combustionis: Quod si defecerit in criminis purgatione, solvat XVIII. marcas ad fabricam Ecclesiæ procurandam. Quandò quis se offert ad serviendum Ecclesiæ in officio campanarij, tunc ille recipiendus est, in quem presbyter & parochiani consentire possunt; Quod si non concordaverint, recipiant tunc parochiani illum quem volunt.

Si perdiderit Ecclesia aliquid ex incuria & negligentia campanarij, damnum tenetur reficere campanarius, & ubi non sufficit ipse, supplebunt parochiani qui ipsum receperunt; Postquàm verò campanæ sunt assignatæ campanario, tenetur pulsare campanas templi debitè ad preces matutinas, & Missam, aliaque semper officia divina: Si vult parochianus quòd campanarius pulsare debeat pro funere, solvat campanario IV. denarios; Campanarius tenetur deferre manuale, & stolam cum presbytero,

quandò vadit ad miniſtrandum ſacramenta in parochia. Si diſſolvi contingat ferramenta, quibus campana ligata eſt ſuperiùs in turri, aut aliàs ubi pendet, tenetur campanarius per tres dies Dominicos hoc notificare in januis Eccleſiæ parochianis, & tutoribus Eccleſiæ, & eos rogare ut in tempore provideant ruinæ; Si campana ceciderit poſt legitimam præmontionem, & campanarium opprimit, ſolvi pro eo debent marcæ VII. Omne autem damnum, quod campanarius ex campanis ſuſcipit, in caſus fortuitos computatur, ſed pænas nunc expreſſas tutores ex proprio ſolvent. Si rumpatur campana poſt legitimam præmonitionem, ſolvant tutores III. marcas ex ſuis propriis, & applicentur & obſerventur pro uſu campanæ emendæ.

Si nullâ præmonitione præmiſsâ, campana opprimit campanarium, vel eum in corpore lædit, nulla pro eo pæna luatur; Si rumpatur ſic campana, ſolvat campanarius III. marcas: Si quis pulſet campanas, cui campanarius non commiſit, ſolvat III. oras; Si rumpit campanam, ſimilem campanam reddat Eccleſiæ de eodem valore. Si campana talem oppreſſerit, aut eum læſerit, nulla pæna pro eo ſuſtineatur. Quicunque ex piſtillo campanæ dam num habuerit, ſimiliter nulla pæna ſolvatur. Si hæredes

redes campanarii dicunt, campanarium præmoniſſe tutores, & illi negant, teſtimonio XII. ſtandum erit. Quilibet parochianus qui decimas prædiales, & de animalibus ſolvit, tenetur dare campanario medium modium annonæ, ſecundum quantitatem modij, qui ubſaliæ eſt in uſu, aut ejus valorem, prout emitur & venditur communiter tempore, quo colitur Nativitas Chriſti, & hos reditus ſuos per ſe comportare tenetur. Illum autem parochianum, qui ſatisfacere recuſat campanario, debet presbyter à perceptione ſacramentorum ſuſpenſum tenere.

Omnes qui arte manuali vivunt, ſolvant campanario II. dinarios, & qui ſolvunt presbytero unam oram, dēt campanario II. denarios in feſto Paſchæ; Illis tenetur presbyter in omnibus miniſtrare ſacramenta, ſicut alijs qui ſolvunt decimas prædiales ex agro, & animalibus; Qui minûs dant quàm oram presbytero, à campanario liberi cenſeantur. Cùm opus habuerit parochianus ſervitio presbyteri, vel ad baptizandum infantem, vel alias neceſsitates, ſignificet parochianus hoc campanario, & deindè campanarius id presbytero intimabit.

CAPVT VII.

De decimis Ecclesiæ.

DEcimæ seperentur & reponantur in agro, quarum tertiam partem suscipiat presbyter, & de reliquis duabus partibus capiat Ecclesia tartiam partem; Et compossessores illius villæ, ubi decimæ sunt repositæ, providere tenentur per XIV. dies, de sepibus agrorum, postquàm omnes importaverant collectas suas, nè à gregibus devastentur; Si quis posteà neglexerit inferre partem suam, illi imputetur omne damnum exindè proveniens: Nec tenentur parochiani Episcopo, aut presbytero aliquas præstare vecturas, nisi id facere voluerint suâ sponte.

Cùm seminans minùs colligit quàm C. manipulos, tenetur nihilominùs de quolibet decenario, solvere manipulum unum, & à debito dicto Maala sit liber: Dùm verò alteri serviens agrum conducit, de crescentibus in agro decimas solvet ubi situs est ager, & reddet debitum, Maala vulgò dictum, ubi habitat, sivè habitat in parœchia ubi agrum colit, sivè non. Sed si habitat in eodem prædio ubi agrum colit, tùm faciat decimas, & sit liber à Maala

ala, si illic vivit expensis suis. Hoc modo decimæ rectè solvi dicuntur, dummodò ex quolibet manipulo decimus persolvatur, incipiendo à capite agri, ubi primùm metere cæpit, continuando usque ad terminum ejus: Et sic decimæ relinquantur in agro, cum debita custodia, ut superiùs expressum. Et si decimæ subtrahantur vel consummantur, vel distrahantur infra terminum superiùs scriptum, possessor agrorum damnum reficiat.

Ex illis decimis quæ proveniunt Ecclesiæ, provideatur illi de ornamentis Ecclesiasticis, tàm altarium quàm personarum Ecclesiasticarum, ac de cera & vino, hostijs & thure. Quod si ædificijs indigeat, subveniant parochiani Ecclesiæ in advehendis necessariis, & Ecclesia satisfaciat artificibus, providendo ipsis de salario & expensis. Tenentur quoque Parochiani decimas dare de lino, canabe, rapis, fabis, pisis, tritico & lupulo, ut antiqua fuerat consuetudo. Oportet etiàm de animalibus decimas dare, de vitulis & porcis cùm sunt IX. dierum, capris, agnellis & anseribus in festo B. Olai martyris, de quibus posteà presbyter curam gerat: Et tales decimas parochiani ad Ecclesiam per se deferant, nec debent desuper ad jurandum astringi, utrùm rectè decimas persolvissent. Si non tot fœ-

tus accreſcant, ut presbyter decimum percipiat, ſolvat ruſticus ex quolibet equulo denarios IV, de vitulo II. & I. de porco, I. de anſere, I. de agnello, & ſimiliter pro capreolo: Pari modo ex captura piſcium tempore hyemali & æſtivali factâ, ac ex pellibus omnibus decimæ fiant.

Si habitat mechanicus in parochia nihil ſeminans, ſolvat Curato tempore Paſchæ, mediam oram ſi ſolus eſt, ſin minùs, ſolvat oram integrè, nec magis ſolvatur etiamſi eſſent plures quàm duo; Si mercenarius inhabitat domos alienas, non habens gregem, nec aliquid ſeminans, ſolvat Curato tempore Paſchæ ſicut famuli, mediam oram, & ipſa famula I. ſolidum. Si parochianus omittit decimas ſolvere, & hoc fatetur ſe feciſſe, poteſt presbyter illi ſacramentum altaris denegare tempore paſchæ. Sed cùm presbyter dicit, de decimis ſuis ſe percepiſſe minùs quàm debet, ſe parochianus ſuo proprio juramento purget, ac per hoc ſit liberatus. Cùm presbyter impingit parochiano, quòd ſuas decimas ſit furatus, poſtquàm fuerunt ab alijs ſegetibus ſeparatæ in agro, purget ſe tunc eo modo, quo ſolent ſe ruſtici invicem defendere & purgare, quandò ipſi ſibi mutuò ſimilem cauſſam movent, juxta cauſſæ qualitatem, vel puniatur ſecũdum Leges hujus

jus terræ. Inſuper debet presbyter habere à ſuis parochianis, unam contributionem quolibet anno, & de quolibet parochiano ad valorem quatuor denariorum, vulgariter Maatskot dictam.

CAPVT IX.

De funeralibus & Miſſis defunctorum, ac infirmorum viſitatione.

Poſtquàm presbyter eſt decimas conſequutus, etjàm funeralia ſibi debentur, nempè V. oræ pro quolibet tumulando, quas non priùs exigere poteſt, quàm officium ſepulturæ ſit completum; Et tenetur deindè ad celebrandum tres Miſſas, unam eo die quo funus de domo exportatur, aliam VII. die, tertiam XXX. die à tempore ſepulturæ: Quod ſi hæredes defuncti, de tempore aliter ordinare volunt, hoc fiat presbytero conſentiente. Si autem defunctus non habeat in bonis plus quam X. oras, tunc cedant presbytero V. oræ: Minorenes verò infra annos XII. ſepeliantur abſq; quavis exactione & contradictione. Quòd ſi parvulus factus eſt hæres, integrè presbytero funeralia dentur, dummodò habeat in bonis plus quàm X. oras. Quod ſi habeat tantum-

tummodo in bonis oras vel minùs, cedat tunc presbytero tertia pars, & reliquæ duæ hæredibus, ut superiùs est expressum.

Si viator aliquis in parochia infirmetur, debet tunc parochianus apud quem est hospitio receptus, hoc nũciare campanario, & campanarius presbytero, qui tenetur ei administrare sacramenta Ecclesiæ, funus & fossam benedicere, & posteà de bonis defuncti V. oras petere, vel facere sibi dissolvi, si tantùm in bonis habeat, & pro ejus anima celebrare III. Missas. Quod si nõ tantùm habeat in bonis, recipiat presbyter tertiam partem, & celebret tantùm unam Missam. Si deniq; moritur in parochia mendicus, illi administret sacramenta presbyter sicut parochiano, quamvis nihil habeat aliud quàm baculum & peram: Parochianus verò apud quem mendicus mortuus est, significare hoc debet vicinis suis propinquis, aut si propinquos non habet, ad remotos vadat, illi tenentur funus ad Ecclesiam deferre, & dùm tamulatur præsentes esse. Si illi quibus nunciatum est, venire distulerint, tribus oris punientur, quas illi recipient, qui funus per viam associarunt, aut defendant se per juramentum duorum, quòd sibi non innotuit, aut quòd legitimum impedimentum habuerint.

CAPVT

CAPVT X.

De benedictionibus nuptiarum, & introductione mulieris post partum.

NVllus Presbyter in benedicendis nuptiis, plus recipiat quàm I. tremissim pro qualibet candela, & offerant benedicenti quantùm volunt. Quod si benedicendi per se candelas habeant, tenetur presbyter illos benedicere sine quavis exactione, etiàm qualescunq; candelas habent, & offerant benedicenti quantùm volunt. Quandò autem pauperes benedicendi sunt, fiat hoc candelâ Ecclesiæ absque contradictione, & offerant quantùm volunt. Vocamus verò pauperes in hoc casu, qui tantummodò sine quovis agrorum cultu domos inhabitant, & qui presbytero non decimas, sed Maala solvunt, inhabitantes cum alijs, & servientes alijs, vel mendicantes. Quandò mulier introducitur post partum, det presbytero I. oram pro candela, quòd si per se vult offerre candelam, tunc oportet ut contineat in pondere marcam mediam ceræ, in pecunia alijsque offerat quantùm velit, & sic introducatur in ecclesiam sine aliqua contradictione.

Quòd si pauper est, introducatur cum candela Ecclesię, & candela spectet ad Ecclesiam, sicut priùs.

Quòd si mulier acceſſerit ad eccleſiam, cum his quę pro introductione requiruntur,& presbyter nolit eam introducere, & propterea càret illa concubitu viri, probabit tunc presbyter cum duobus alijs presbyteris, quòd illi introductionem non negavit, aut ſolvat III. marcas, quarum II. capiat Epiſcopus, & I. maritus uxoris

CAPVT XI.

De feſtis præcipuis, quandò Curatus tenetur celebrare, & parochiani offerre.

POſtquàm presbyter perceperat decimas, & jura ſua, eſt propter ea obligatus ad celebrandam rem divinam, his præſertim V diebus, videlicet Nativitatis Chriſti, Paſchæ, omnium Sanctorum, purificarionis beatæ virginis,& dedicationis Eccleſię; Et his quoq; dieb. obligati ſunt parochiani offerre, tàm viri quàm mulieres: Si autem contingat virum vel mulierem, domi reſidere dictis diebus, offerant tunc proximo die feſto, & ſint excuſati; Quod ſit contempſerint, & non obtulerint ut tenentur, ſolvant tunc pro quolibet denario non oblato II. denarios.

CAPVT

CAPVT XII.

De baptiſmo, & qualiter infantes licet domi baptizare.

CVm parochianus cupit filij, vel filiæ baptizationem,& presbyter ſine parochianorum licentia ſe abſentaverit, nec fortè habet legitima impedimenta, ſi contingit baptizandum ſine baptiſmo mori, punietur tunc presbyter in III. marcis, quas ille cuj us erat infans baptizandus,percipiet. Si autem infans naſcitur infirmus,& nequit ad eccleſiam deportari, neque presbyter haberi, baptizetur tunc infans à viro quopiam in aqua,& nullo alio liquore: Quòd ſi neque vir adfuerit, fiat tunc per mulierem ſub hac verborum forma: Ego te baptizo, in nomine Patris, Filij & Spiritus ſancti amen. Moritur infans tunc, cenſendus eſt baptizatus, & poteſt in cœmiterio ſepeliri: Sed ſi vixerit,& vivus poteſt ad eccleſiam deferri,tùm debet presbyter cum chriſmate quod reſtat ſupplere,ut eſt priùs dictum.

Si talis infans adoleſcat, & contingat dubitare utrùm fuerit baptizatus, elepſo anno poſtquàm natus eſt,examinet tunc Epiſcopus,& veritatem inquirat,& prout invenerit de jure faciendum eſſe,ſic faciat. Conjuges in ſolitudine manentes,& infantem

quem generant, propter infirmitatem ad ecclesiam deferre non valentes, nè absque baptismo moriatur, possunt infantem proprium baptizare, cùm nemo eis asistat qui id facere posit: Nec propterea impeditur matrimonium inter illos, propter compaternitatem ità supervenientem, & necesitatis articulo contractam. Si denique plures vicini sunt in una villa, & unus vicinum rogaverit ut suus compater fiat, vicinusq; recusaverit compater fieri, & sic contingat infantem sine baptismo mori, solvat tunc vicinus recusans III. marcas, aut cum suo juramento se purget, quòd non recusaverit compater fieri; De illa pæna capiat medietatem Episcopus, & reliquam medietatem hæredes defuncti; Sed si infans baptismum obtinuerit, nulla pæna compaternitatem deneganti imponatur.

CAPVT XIII.

De sacramentis infirmo ministrandis.

QVandò parochianus decumbit, & presbytero hoc nunciatur, presbyter autem alijs sese occupans, infirmum non visitat, si contingat parochianum sine sacramento decedere, solvat presbyter III. marcas hæredibus defuncti: Sed si nunciatum fuerit eodem tempore, ut infantem baptizet, & infir-

infirmum cum sacramento visitet, oportet tunc eum priùs succurrere infirmo, quàm infanti; Quod si prolongaverit, baptizãdo infantem priusquàm infirmum visitet, si moritur talis infirmus sine confessione, solvat presbyter hæredibus defuncti III. marcas; Cùm verò nunciatur presbytero ut funus benedicat, quod si funus per noctem, aut duas, sive tres sine benedictione in domo permanserit, solvat presbyter III. marcas, aut legitimum impedimentum ostendat, de illis III. marcis capiat parochianus I. & Episcopus II. Quod si parochianus deduxerit funus de domo, nisi priùs steterit pro tempore superiùs expresso, punietur ipse III. marcis, quarum I. capiat Episcopus, aliam vicini per quorum possessionem funus deferebatur, & tertia pars cedat communitati illius Contractus: Postquàm autem funus per tres noctes in domo remanserat, potest parochianus impunè facere ipsum funus ad ecclesiam deportari, & illud ipse ibi sepilire.

Cùm parochianus presbytero nunciat, quòd quispiam de suis absque sacramento decesit, alleget tunc presbyter impedimenta sua, cum duobus aliis presbyteris impedimenta scientibus, quorum I. est, quòd sibi non extitit nunciatum, II. quòd fuerit citatus ab Episcopo, III. decumbebat infir-

mus; IV. quòd tunc Missam celebravit, cùm sibi nunciaretur: Quod si defecerit in se purgando, solvat hæredibus III. marcas.

CAPVT XIIII.

De negligentia Curati non celebrantis tempore quo celebrare tenetur.

QUod si presbyter non celebraverit die festo, solvat III. marcas parochianis, vel legitimum impedimẽtum ostendat; Vnum est quòd decumbebat infirmus; aliud quòd ab Episcopo erat vocatus, idq; probet juramento trium presbyterorum: Quilibet verò parochianus tenetur adire ecclesiã parochialẽ quolibet die Dominico, & presbyter tenetur festa indicare, & jejunia: Quod si id facere presbyter neglexerit, & parochianus propter ignorantiam, festum aut jejunia non servaverit, puniatur tunc presbyter in III. macis; Sed hac pænâ plectatur parochianus, si presbyter illa indixerit.

In omnibus causis ubi conveniendus est presbyter, oportet quòd conventio coram ipsius superiore fiat, & coram eo condemnetur, aut absolvatur. Nec potest Episcopus, nec presbyter aliquem à sacramento, aut ingressu ecclesiæ suspendere, nisi pro causis expressis, videlicet pro confessione, decimis,

mis, pro bonis attinentibus ecclesię, aut presbytero, ac spiritualibus causis, & non pro pecuniariis: Quicunq; verò presbyter excluserit ab ingressu ecclesiæ parochianum injustè, & absq; licentia Episcopi, puniatur in III. marcis, quarum unam partem capiat Episcopus, aliam sic exclusus vel suspensus; Sed cùm quis suspenditur à sacramentis, vel ingressu ecclesię propter justam causam, & sit suspẽsus per annum, potest tunc Episcopus eum excommunicare; Qui si se non humiliaverit, & gratiam impetraverit absolutionum infra annum, tunc significandum est hoc Regi, & Rex tenetur talem gladio punire, & talis carebit ecclesiasticâ sepulturâ; Ast in bonis illius succedent sui hæredes, suæq; mortis per se censeatur causa fuisse, neq; ea cuiquam alteri imputetur.

CAPVT XV.

De donationibus, sepulturis, & feriis ecclesiasticis.

QVòd si quis aliquid de bonis suis, ecclesiis vel monasterijs donare velit, sit in ejus arbitrio, an velit donare ità ut indè presbyter sustentetur, vel ecclesia pro suo apparatu teneatur. Et si presbyter, vel tutores ecclesiæ, dicant plus esse donatum quàm sit, & pars negat, tunc si ille vivit qui donavit, ejus assertioni standum erit super eo quantùm dona-

donavit; Quod si donans mortuus est, & hæredes negant esse donatum, tenetur tunc ecclesia cum viris domicilium illic obtinentibus, qui quandò donatio fiebat præsentes erant, intentionem suam probare; Et tot viri obtinentes domicilia requiruntur in donationibus, quot in emptionibus, & secundum qualitatem rei donatæ.

Si quis possessiones suas donaverit ecclesijs, aut monasterijs, & est præsens verus hæres, & legitimæ ætatis, & ambo consentiunt in præsentia virorum, ut suprà qualificatorum, cum aliis requisitis, permaneat tunc donatio firma, quantumcunque donaverit. Sed si hæres negat donationem esse factam, vel non est præsens, vel est minorennis, furiosus & non sanæ mentis, tunc non potest donare nisi decimam partem bonorum, hoc est, quemlibet decimum denarium, ex acquisitis jure hæreditario ab antiquo, illaque est justa donatio, sivè possideat plura vel pauciora. Sed possessionem, terram pecuniam vel agrum, aliter quàm jure hæreditario acquisita, potest quis donare pro salute animæ suæ. Qui offert se monasterio, vel hospitali, non potest plus donare de bonis suis, nisi quantùm hæredes volunt, & prout supra dictum est. Quod si plus donatum fuerit, quàm jure donari potest, hoc quod

quod donatum repetatur infra annum & noctem, & irritetur omne quod non est legitimè donatum.

Si hæres est captus, vel est extra patriam, vel est minorennis, permaneant tunc bona hujus in arresto, donec hæres revertatur, vel à captivitate liberetur, vel minor ad eam venerit ætatem, quâ sui juris esse cæperit: Et ex tunc habet hæres optionem, si velit bona in arresto posita retinere, vel illi tradere cui fuerit res donata, infra annum & diem. Et si nullus molestat infra annum & noctem rem donatam secundum rationes jam dictas, retineat demùm ecclesia rem sibi donatam pleno jure. Si alicui alteri fiat donatio, puta consanguineis & familiaribus, talis donatio fortitur effectum, ad beneplacitum hæredum: Quandò a. fit cum consensu veri hæredis, tunc nemo potest talem rerractare donationem, dummodò donatio sit facta in præsentia virorum, domicilia obtinentium, & testium desuper rogatorum: Cùm fit donatio ex bonis mobilibus ecclesiæ, aut presbytero, ibi requiritur præsentia duorum obtinentium domicilia, qui testimonium perhibere debent, si ecclesia, vel presbyter postea bonorum nomine impetantur, nec potest custos ecclesiæ desuper testis esse.

Si contendant presbyter & ecclesia de donatione, presbyter dicit donationem sibi factam esse ad sustentationem, ecclesia autem dicit ad suam conservationem; Si vivit ille qui donavit, sit in arbitrio ejus transferre dominium in quem vult. Quod si non sit ille qui dedit, referatur tunc causa ad indagationem XII. virorum, qui ambas partes nominandorum possident, & eorum judicio stetur. Quicquid donatur ecclesiæ, sive sit res mobilis, sivè immobilis, ejus agrarium & ejus decimæ, convertendum est in ipsius usum ecclesiæ, ac utilitatem, nec habet aliquis authoritatem in usus alios convertendi. Cùm terra oppignoratur ecclesiæ, & pignorans potest redimere infra terminum appositum quandò oppignoravit expressum redimat, ipse & ejus hæredes, & sit illorum; Quod si non possunt redimere, fiat tunc sicut in simili casu inter rusticos est jure cautum.

Si parochianus donat presbytero terram, aut rem mobilem, sive in infirmitate constitutus, sive sanus, retineat tunc id unus presbyter post alium, nisi eo pacto sit datum, quòd ille cui donario facta fuit, potuit de donato facere quicquid vellet. Quod si terra donata est, ad hoc probandum requiruntur testes domicilia obtinentes; Verùm si sint res mobiles, sufficit probatio testium aliorum, ut est priùs dictum.

Cum

Cùm moritur parochianus, & eligit sepulturam extra parochiam propriam, debetur nihilominùs Curato quicquid habere debuisset, si apud ecclesiam parochialem sepulturam elegisset, & presbyter tenetur ad omnia obsequia, quæ illi facturus esset, si apud ecclesiam suam sepultus fuisset.

Quandò is accedit ad ecclesiam, cui introitus ecclesiæ est interdictus, tempore quo Missa celebratur, si venit ante offertorium, potest presbyter se exuere vestibus sacris (si ille aliter ab ecclesia nolit exire) & Missam omittere, pro qua omissione nec presbyter, nec parochianus sunt puniendi, sed puniatur ille qui occasionem dedit, quarè Missa debuerit omitti; Quòd si venerit ad ecclesiam post Canonis inchoationem, tunc non potest presbyter Missam dimittere, parochiani etiam possunt Missam audire liberè. Quòd si inspector impingat parochianis, quòd cum interdicto Missam audiverint, purgent se testimonio X. virorum, vel puniantur in III marcis. Quod si verò quis causa immunitatis ad ecclesiam confugerit, invitus ab ecclesia, vel cœmiterio extrahi non debet, potestq; eo non obstāte, presbyter celebrare, & parochiani impunè audire.

Si rumpatur fons baptismalis, provideant presbyter & parochiani infra dies Dominicos tres & si non

reparaverint, ex tunc lapsis VII. diebus, postquàm ter citati fuerint, puniantur parochiani in III. marcis, Episcopo tantùm applicandis. Cùm contingit nocte Paschæ, Pentecostes, vel festo S. Crucis, pisces ad lusum conglomerari, quibus solent temporibus ut plurimùm comprehendi, tunc fas est instrumenta cum quibus capiuntur, ab aquis extrahere, & retia levare, & ex illis pisces evellere, non tamen ad aquas relia reponēda, nisi priùs divino expleto officio temporibus supra dictis, eodemq; modo oportet omnibus diebus Dominicis observare. In aliis autem festivitatibus, potest quis ad piscandum ire, dummodò occasionem præbeat piscium conglomeratio supradicta. Hoc etiam licitum erit tempore quo fuerit seminandum, vel metendum, Dominicis diebus, dummodò non fiat nisi officio priùs expleto divino.

Si laicus vir vel mulier, intingit manum in fontem baptismalem, solvat VI. oras, vel si negaverit, purget se testimonio duorum, & suo proprio juramento. Quod si minor id fecerit, in nullo puniatur, cùm ætas excuset ipsum. Quod si quis imponat pileum, chirotecas, vel arma super indumentis altaris, in quo est repositus lapis consecratus, solvat IV denarios, vel purget se tantùm suo proprio jura-

juramento, & illa mulcta presbytero applicetur: In causis & casibus prædictis omnibus cognoscat Episcopus, & prout cognoverit, judicet ipse.

CAPVT XVI.

De sponsalibus & matrimoniis, atq; gradibus consanguinitatis, affinitatis, ac divortiis adulteriisq;.

DE matrimoniis & consanguinitatis gradibus, & cognatione spirituali, nemo judicet nisi Episcopus, vel ejus officialis, qui ipsius Episcopi fungitur jurisdictione. Si quis in simili jurisdictione se ingesserit, Episcopo VI. mercæ solvantur, & sit in ejus arbitrio, utrùm debeat fieri divortium, vel matrimonium debeat inter conjuges remanere. Cùm quis aliquam desponsat, & sponsalia irritantur judicio Ecclesiæ, solvat uterque videlicet sponsus & sponsa, III. marcas, & sic fiat etiamsi sint legitimè copulati. Si autem se separaverint absque judicio Ecclesiæ, recipit tunc Episcopus VI. marcas pro separatione, & uterque solvat III. marcas, si uterq; conjugum sit in culpa, quarè debeat divortium fieri; Quod si alter tantùm est in culpa, solvat ille tunc

VI. marcas,& illa perſona nihil ſolvat, quæ pro matrimonio inſtabat.

Si quis dicit ſe deſponſaſſe aliquam,& illa negat, & deſuper emanent litteræ Epiſcopi, vel ejus officilis, interdicentes nè matrimonium contrahatur, niſi priùs examinetur de priori contractu, & ille judicetur per eccleſiam non tenere, & nihilominùs contrahit cum alia, antequàm de priori ſit cognitum, ſolvat III. marcas; Similiter ille qui cum ea contraxit ſcienter, vel purget ſe juramento X. virorum, quòd ignoraverit ipſam fuiſſe alteri deſponſatam. Cùm autem ſponſus & ſponſa deſiderant benedici, hoc tenentur presbytero indicare, & hoc denunciet presbyter per tres dies Dominicos ex valvis eccleſiæ; Si quis interim venerit, & impedimentum allegaverit,quo minùs valeant benedici, nempè conſanguinitatem & cognationem ſpiritualem, vel quòd prius contraxerint cum aliis, vel aliud quodcunq; propter quod matrimonium poſsit impediri de jure, tùm non poſſunt benedici niſi priùs negotium hujus ſit diſcuſſum. Quod ſi infra illum terminum non conſtiterit de impedimento,poteſt tunc presbyter illos benedicere, nec ſit licitum cuiquam contra tale matrimonium aliquid objicere,ex quo audiverat presbyterum ut debuit denũciaſſe,vel poſtquã ſunt conjuges benedicti;

Si quis

Si quis poſteà impediverit matrimonium,& matrimonium fuerit legitimum judicatũ eſſe,ſolvat tunc impugnans VI. marcas,quorum II. recipit Rex II. Epiſcopus,& reliquas II illi quorum cauſſa agebatur.

Nunc conſequenter de adulteriis: Qui committit adulterium cum muliere ſibi in nullo attinente, ſolvat VI. marcas, ſimiliter pro duplici adulterio. Quòd ſi committit adulterium cum inceſtu,conſanguinitate,aut cognatione ſpirituali, vel fraternitate ſeu ſororitate,ibi quilibet ſeorſim punitur. Quòd ſi maritus objicit uxori, tunc debet maritus convenire illum quem accuſat, in publica placitatione,qui ſi poteſt afferre purgationem ſuam,& purgare ſe jura mento X. virorum, ſit liber;Quod ſi defecerit in ſe purgando, ſolvat III marcas,& ſtetur negationi mulieris:Sed ſi imputatur mulieri,purget ſe juramèto X virorum;Si deficit in ſe purgando,ſolvat III.marcas, & ille conjugum ſubeat publicam punitionem,qui defecerit in ſe purgando, ſolvatq; poſteà pro violatione thori, prout dicetur in libro de matrimonio. Quòd ſi vir cui imputatur adulterium ſe purgaverit,uterque ſit immunis à pæna.

Quòd ſi mulier impingat viro in placitatione, quòd vir ejus adulterium cõmiſerit, purget ſe maritus juramẽto X. virorum, & ſi ſe purgaverit,in nullo pu-

lo puniatur, nec ipſe nec ipſa; Quòd ſi defecerit ſolvat III. marcas, & mulier ſe purget juramẽto X virorũ; Quod ſi in ſe purgando defecerit, puniatur in III marcis ſimiliter; Quod ſi concurrat gradus conſanguinitatis, aut cognationis ſpiritualis, ibi ſeorſim pœna ſolvenda. Nemo poteſt aliquem accuſare de adulterio, niſi maritus uxorem, & uxor maritum, niſi depræhendatur in facto, vel ſi ſint deſuper duo teſtes qui viderunt acceſſum & receſſum, ibi poteſt officialis Epiſcopi indicere ipſi purgationem, vel extorquere pœnam; Quod ſi ſe purgaverit ille cui adulterium objicitur, ſint ambo purgati, & teſtes ſimiliter. Quòd ſi inflagranti crimine quis depræhendatur, cum teſtibus de quibus dicetur infra, ubi de matrimonio agitur, tunc ſolvat quilibet III. marcas Epiſcopo.

Epiſcopus etiã eſt judex in cauſſis uſurarum & qui uſuram cõmittit, ſolvat VI marcas, ſi conſtiterit eum commiſiſſe. Ob quamcunq; cauſſam quis excommunicatus fuerit, & conſtiterit de actore, examinabit tunc Epiſcopus cum veridicis teſtibus, & judicabit prout invenerit eſſe æquius judicãdum: Quod ſi non habeantur teſtes, tunc defertur juramentum illi cui culpa datur, ſecundum Conſtitutiones Regni: Si juramento ſe purgaverit, liberabit tàm ſe quàm ſua; Si defecerit in jurando, ſolvat Epiſcopo VI. mar-

VI. marcas, & aliàs puniatur ſecundum Leges ſeu Conſtitutiones prædictas; De illa pæna recipiat I. partem eccleſia, II. actor, III. contractiſtæ.

Si quis cum propria, aut aliena muliere in eccleſia, aut in cœmiterio rem habuerit, & ſunt deſuper duo teſtes, tunc purget ſe cui delictum imputatur juramento X. virorum: Si purgaverit ſe, ſit uterque purgatus, ſi defecerit, ſolvat III. marcas, & ſimiliter purget ſe mulier ſi poteſt; Quòd ſi defecerit, ſolvat mulier III. marcas: Ad Epiſcopum ſpectat inquirere de violatione cœmiteriorum, ſeu pollutione eccleſiarum; Qui eccleſiam vel cœmiterium polluerit, ſolvat VI. marcas, & de ſuſtentatione providebit Epiſcopo, quandò reconciliat eccleſiam vel cœmiterium.

Quod ſi quis compertus fuerit coire cum jumento, talis poteſt capi, & ligatus ad placitationem duci, & hoc faciat ille cujus erat jumentum; Nominentur deindè XII viri, qui inquirant de veritate, & ſecundum quòd illi referunt, eum dicendo reum, vel innocentem, eſt judicandum: Quod ſi denunciaverint illi hominem, cui tale crimen imponitur, innocentem, ſolvat XL. marcas qui innocentem ligavit, & ad placitationem duxit: Quod ſi eum denunciaverint reum, debet vivus in terram de-

fodi, sic & jumentum cum quo coivit; Et hoc facere tenetur ille cujus erat jumentum: Quod si ille cujus est jumentum, non agat ut reus moriatur, sed velit vitam delinquenti annuere, solvat tunc VI. marcas qui taliter annuit, quarum unam partem capiat Episcopus, aliam actor, tertiam Rex. Quod si quis alium accusat super tali delicto, tenetur tunc accusator habere duos testes, poteritq; se tunc purgare cui crimen imponitur, juramento XVIII. virorum; Et si purgare se poterit, in nullo accusatus punitur, neq; testes; Quod si defecerit in se purgando, solvat VI marcas, ut superiùs est dictum, & mulcta dividatur in tres partes, ac Episcopus arbitrabitur pœnitentiam illi imponendam.

Quòd si quis subibat pœnitentiã natus extra hanc patriam, petitq; litteras testimoniales ab Episcopo, & offert pro litteris debitum cancellario Episcopi, nempè II. oras, & Episcopus non tradiderit litteras infra annum & noctem, solvat tunc Episcopus XL marcas dividendas in tres partes, quarum unam capiat Rex, aliam actor, tertiam communitas: Quòd si Episcopus offert litteras, & petit debitum suum pro illis, & si reus dare recusaverit infra tempus prædictum, solvat XL marcas, & ibi Episcopus est actor.

CAPVT

CAPVT XVII.

De authoritate Officialis, & Præpositi ruralis.

Quandò Præpositus seu Officialis Episcopi impingit alicui, quòd non servaverit dies festos quos servare tenebatur, vel quòd non observaverit jejunium, quod observare ex injunctione sacerdotis obligabatur, & desuper habet duos testes, potest tunc se delatus purgare juramẽto X virorũ; Quod si defecerit in se purgando, solvat III. marcas, & testes in nullo puniantur. Quod si affirmat Præpositus Episcopi, eliminatum ab ecclesia intrasse in ecclesiã, vel comedisse carnes eo tempore, quo jejunare tenebatur. vel communicasse cum excõmunicato aut maleficis, & desuper habet duos testes, qui testes nominandi sunt in communi placitatione, purget se accusatus juramento X virorum: Si deficit in purgando, solvat III marcas, & testes in nullo puniantur in omnibus casibus suprà dictis.

Nemo tenetur deferre juramentum, aut pecuniã Præposito, Episcopo, vel ejus Officiali, nisi tunc quãdò agitur cõtra principalẽ, vel duos desuper habẽtur testes; Et si ille cui aliquid objicitur se purgare poterit, testes sint tũc immunes: Ab omni pœna in omnibus casibus, in quibus Episcopus habet jus aliquod

agendi, semper testes sint immunes à pœna, sivè reus se purgaverit, sivè non.

CAPVT XVIII.

De violatione festorum ratione percussionum & vulnerationum, & de ruina cœmiteriorum.

SI qui se mutuò die festo percutiunt, ità ut vulnera, vel homicidia indè sequantur, solvant Episcopo III. marcas; Quod si ille cui hoc imponitur se purgare poterit contra actorem, sit & defensus contra Episcopum: Sed si succubuerit contra actorem, similiter & succumbat coram Episcopo, & solvat ut superiùs est expressum.

Si duo vel plures unum percusserint in die festo, ibi non solvitur nisi simplex pœna, sivè sit pœna III. sivè VI. marcarum.

Qui occidit hominem die non feriato, solvat III marcas ecclesiæ; Si duo vel plures occiderint unum hominem in die non feriato, solvant III. marcas Episcopo. Si autem occidatur homo die festo, solvantur VI. marcæ: Si plures occiderint unum in die festo, solvant omnes VI. marcas. Si quis occiderit patrem vel matrem, uxorem vel alium contora-

toralem, solvat VI marcas si fuit in die festo, similiter in die nō festo, seu non feriato. Si occiditur presbyter, aut clericus, vel vulneratur notabilibus vulneribus in die non feriato, solvat Episcopo VI. marcas propter excommunicationem, & III propter ordinem ejus; Si occiditur in die festo, superadduntur III: marcæ.

Quicunque possunt suam innocentiam ostendere contra actores, illi etiàm censendi sunt innocentes coram quibuscunq; contra eos agere volentibus; Et si se innocentes non ostenderint, solvant secundum quod deliquerunt.

Si clausura cœmiterij in aliqua parte sit ruinosa, vel non clausa, tunc Prępositus vel officialis Episcopi convocet parochianos, qui inspiciant & æstimēt; Quod si est apertura in cœmiterio, & hoc probant qui cœmiterium inspexerint, solvātur tunc III. marcę pro qualibet apertura donec III sunt aperturę & quilibet pro se, & sua, cujus est illa pars rupta, juret at parochiani alij in nullo puniantur; Quod si ruptura est in cœmiterio ubi animalia possunt ingredi, vel pinnaculum coopertum ceciderit, vel campana, solvantur III oræ per illum qui tenetur, & alij parochiani nihil solvant. Si quis furetur ab aliquo in ecclesia, vel cœmiterio, potest tunc quilibet ca-

pere ibi ſuum furem,& ſolvat Epiſcopo fur III marcas pro violatione immunitatis, & nihilominùs ſecundum Conſtitutiones Regni puniatur; Nec poteſt immunitate gaudere, quià deliquit contra illam eccleſiam, in qua furtum commiſit.

CAPVT XIX.

De & perjuriis, juramentis

COnſequenter dicendum eſt de juramentis, pro quibus Epiſcopus recipit mulctam, ſi conſtabit jurantes pejuraſſe; Pro perjurio unius recipit III. marcas; Quod ſi ſint plures pejurantes quàm unus, recipit VI marcas, III quidem à principali, & III ab eo qui rogatus juravit. Si plura juramẽta deferantur ſuper eodem negotio, & jurantes de perjurio convincuntur, debentur tunc VI marcæ Epiſcopo ab omnibus jurantibus, tàm principali quàm compurgatoribus, ſi ſe non ſeparant. Quod ſi ſe ſaparaverint, ſolvat tunc quilibet eorum VI. oras, usque quo ſumma trium marcarum ſit completa pro perjurio: Ac poſtquàm ſolverit principalis III marcas, & alij perjuri totidem, nemo deindè poteſtatem habeat vexandi principalem illum, aut ejus teſtes juratos qui eum purga-

purgarunt. Quod ſi teſtis juratus ſe purgaverit contra principalem, ſolvat tunc principalis VI. marcas.

Si jurat quis, & ejus reprobatur poſteà juramentũ, ſolvetur tantùm pæna per principalem quæ debetur Epiſcopo, & principalis recurrat ad illum qui cum eo juraverat. Qui venerit ad plebiſcitum, & dicit ſe juraſſe, vultque propterea rem ſibi adjudicari, ſi fertur ſententia contra illum, ſolvat tunc III. marcas, ſi non eſt conjurans cum eo: Quod ſi ille fuerit, ſolvat & ille III marcas & principalis III marcas, & ſubeat pænitentiam ſivè juraverit, ſivè non. Quod ſi minor XV. annis juraverit, vel qui non pænitentiam egit, aut non eſt introductus in eccleſiam, tale juramentum non valet, & eccleſia recipit pro pæna VI. marcas: Quòd ſi quis jurat bis uno die, ſit illud juramentum nullum quod poſteriori loco præſtitum fuerit, & eccleſia recipit VI. marcas. Quod ſi iudicatum fuerit juramentum eſſe nullum, & ille qui præſtitit ſit contumax, nec vult appellare, nec juramentum defendere, neque ſententiæ parere & ſatisfacere, & poſteà monetur per Superioris ſuilitteras ut ſatisfaciat, vel reprobet datam ſententiam, vel ſubeat pænitentiam; Neque ipſe ullum iſtorum facere voluerit, ſed intret eccleſiam poſtquàm ſibi ingreſſus eccleſiæ

eſt

est interdictus, & contigit propterea cessationem fieri à divinis, solvat III marcas pro prima vice, quæ Missa siluit, & sic pro secunda & tertia vice; Nec augebitur posteà pœna, etiamsi ultrà hoc silentium factum fuerit à divinis, si tantùm abstinet ab ecclesia, & esu carnium interdictus.

Quod si judex aliquem condemnaverit ad solvendam pœnitentiam, & ecclesia propterea recipit pecuniam, & posteà judex absolverit eum quem condemnat, & alium condemnat in eadem caussa, debet tunc ecclesia restituere pecunias quas accepit, illi à quo accepit, & qui se defendebat, & ad nullam pœnitentiam astringere si quæ restat, & recipere pecuniam à quo judicatum fuerit: Et si condemnatus fuerit judex, solvat III marcas pro errore, de quib. recipit Episcopus II, & mediam Rex, & mediam qui fuerit defensus: Quod si legifer ità judicavit, solvat VI. marcas, de quibus recipit Episcopus IV. & I Rex, & I. qui fuit defensus.

CAPVT XX.

De litibus Clericorum & Laicorum.

QVod si clericus offendat laicum quocunq; modo, debet tunc actor convenire clericum coram suo Superiore, qui habeat potestatem & jurisdictionem Episcopi vel ecclesiæ: Quòd si laicus deliquerit contra clericum, conqueratur tunc clericus de laico in communi placito, ubi laicus tenetur respondere de jure, vel pœnam solvere. Quòd si aliqui de familia ecclesiæ delinquant contra alios, & alij contra illos, illi experiantur in placito illius Contractus de jure, secundum Leges municipales, qualecunq; randē sit delictum: Sic etiam si fiat contra ecclesiam super prædiis, sivè super terris quibuscunque, judicandum est secundum Leges patriæ, & sub judicio Regis, & decisione Legislatoris: Vbicunque verò Episcopus noluerit ministrare justitiam laico conquerenti, debet laicus Regem accedere; Omnis denique lis super terris, vel molestationes super illis, sive sit contra laicum sive clericum, debet judicari secundum Leges prædictas.

CAPVT XXI.

De pace propter præsentiam Corporis Christi, & ecclesiarum, cœmiteriorumque immunitate.

OMnes debent in pace dimitti qui sequuntur Corpus Christi, & sunt in comitatu cum illis,

qui talem pacem, seu immunitatem violaverit, sivè fuerit in ecclesia, vel in cœmiterio, vel extra, tunc est ac si esset in ecclesia, quodlibet tamen factum secundum modum suum. Cùm autem contingit aliquos contendere, uno dicente se damnum passum in tali pace, alio negante, sit hoc in arbitrio XII. virorum quos hinc indè dixerunt illi nominandos, & sint hi XII. de eadem parochia. Qui furtivè recipit sacramentum Corporis Domini, postquàm sibi fuerat interdictum, solvat Episcopo III. marcas.

CAPVT XXII.

Caussæ in quibus æqualiter Ecclesia & Corona eligunt Assessores in pari numero:

IN omnibus caussis jàm enumerandis, Corona & Ecclesia æqualiter eligunt viros, quorum dictis erit standum.

I. Si quis violaverit pacem die sancti Laurentij, interficiendo hominem, vel vulnerando, ac in die S Erici, seu Nativitatis Mariæ, vel Cænæ Domini, illic eundo, vel ibi stando, aut abindè recedendo, solvat XL. marcas Ecclesiæ, & totidē Coronæ propter pacem violatam. Si quis autem violaverit pacem die Assumptionis Mariæ Sigtoniæ, vel quandò Episcopus

Episcopus consecrat ecclesiam, solvat mulctam eodem modo: Pax verò de qua nunc facta est mentio, incipit à primis vesperis, durans sequenti die usque ad occasum solis.

II. Tunc etiàm æqualiter eligant viros, ad scrutandum negotia, & caussæ merita, Corona & Ecclesia, quandò quis committit delictum in ecclesia vel cœmiterio, propter quod privandus est omnibus bonis mobilibus, sivè delinquentes ibidem conveniunt amici, sivè inimici, vel in via ad ecclesiam eundo, vel ab ea recedendo, si priùs erant differentes.

III. Vbi etiàm quis extrahitur ab ecclesia violenter, vel à cœmiterio, sit malefactor qualiscunq;, nisi contra eandem ecclesiam deliquerat, in qua tunc est constitutus, capit tunc Corona XX marcas pro pace violata, & XX ecclesia quandò liquet caussa. Quòd si non liquerit, deligant tūc pariter Ecclesia & Corona viros, de quibus suprà; Sed media pars Assessorum hujusmodi, per illum quem volunt condemnare est eligenda. Quod si condemnatur ille cui delictum imponitur, dividetur tunc mulcta violatæ pacis, ut priùs est dictum; Et præter hoc VI. marcæ pro excommunicatione, si fiat in ecclesia, vel cœmiterio: In caussis prædictis unà cum Assessoribus, debent

adesse Officialis Regis, & Episcopi, & non alius; Ac eligantur viri assessores, quorum standum erit dictis, æqualiter à Corona, & ab Ecclesia, & media assessorum pars per illum, quem volunt in caussa quapiam condemnare.



LIBER

LIBER SECVNDVS DE JVRE SVECORVM Gothorumq; Regali.

CAPVT I.

Primordia & divisionem Suecia Gothiæq; comprehendens.

HOc amplissimum septentrionis imperium, à remotissima & antiquissima seculorum memoria, in potentissima Suecorum & Gothorum regna coaluit: Suecia verò illa ditio universa, quæ citra boreale, & Gothia quæ citra meridionale nemus est constituta, olim appellabantur. Atqui Gothorum hic duplex natio, ostrogothica nimirùm & vestrogothica; Neque uspiam Regnorum, aut populorum fixum atque stabile reperitur Gothorum nomen ac habitatio, præterquàm in Suecia; Quandoquidem testimonio vetustissimorum scriptorum, nomen & populus Gothorum ex

Svecia inprimis in exteras gloriosè permanavit regiones.

Hoc autem Regnum in se continet VII. Episcopatus, & IX. territoria seu distrietus vel legiferatus cum suis confinibus. Primus Episcopatus est Vbsalensis, qui in se continet unum territorium seu legiferatum, videlicet Uplandensem : Secundus est Lincopensis, & in se continet duo territoria seu legiferatus, Ostrogothiam & Oelandiam : Tertius est Scarensis, qui in se continet duo territoria seu duos legiferatus, VVestrogothiam & Wermelandiam. Quartus est Stregnensis continens in se duos distrietus, Sudermanniam nempè & Nericiam. Quintus est Episcopatus Arosiensis, habens in se unum legiferatum tantùm, scilicet Vesmanniam & Valles: Sextus est wexionensis, qui in se continet X territoriorum legiferatum: Vltimus Episcopatus est Abogensis continens in se duos districtus vel legiferatus videlicet meridionalem & septentrionalem.

CAPVT II.

In regno Sveciæ non sit nisi unicus Rex, & unica Regalis Corona.

IN universo regno Sveciæ non sit, nec debet esse nisi unicus Rex, & una Regalis Corona: Regis autem interest

interest terras regere ac castra, peculium seu prædia Coronæ, id est Vbsala Oedom, ac universos reditus & introitus, mulctasque quæ sibi tantummodò debentur pro homicidio à multis commisso, ubi principalis interfector ignoratur, suscipere, & in bonis, hæredibus non extantibus, succedere, prout cavetur de jure.

Nullus verò Regum ex his proximè enumeratis casibus diminuere potest jus Regale pro Successore, quià si fecerit, Successor jure recuperat, si potest: Deindè omnes qui inhabitant regnum, tenentur Regi obædire, suis parêre mandatis, & ei obsequio esse; Specialiter ad confinia regni, pro ipsius defensione & non alterius, procedere, nisi id facere velint ex spontaneâ voluntate.

CAPVT III.

Rex assumitur per electionem, non iure successionis.

AD Thronũ regni hodiernum in Suecia est Rex eligendus, & non per successionem ex parentela assumendus; Quandò autem regnum Rege caruerit, hoc modo ut sequitur eligetur: Quilibet legis-

Legislatorū ſuperiùs enumeratorū, cum inhabitantium legiferatum, vel territorium conſenſu, eliget XII. viros gnaros & prudentes, ac cum illis ad placitum, Morating vulgò appellatum, die ad hoc determinato accedet pro eligendo Rege: Primam verò obtinet vocem Legifer Uplandiæ, & qui eum ſequuntur, eligendi & approbandi; Poſt eum quilibet Legifer ordine, ſuo videlicet Sudermanniæ, Oſtrogothiæ, Oelandiæ, Thiheredz, Nericiæ, Weſtmāniæ, Weſtrogothiæ & Finlandiæ: Iſti eligunt Regem, & electum confirmant per eorum ſententiam, ad tenendum terras & gubernandum regnum, leges firmandas, pacem procurandam; Qui ſic jus habebit ad fiſcum ſeu peculium Coronæ, dictum vulgariter, Vbſala Oedom. Quicunq; autem de innatis, maximè de filijs Regum ſi tales ſunt, per omnes voces horum Legiferorum, aliorumq; electus fuerit in regem, illum ipſum Legiferi ſimiliter opprobabunt.

CAPVT IV.

Qualiter Rex tenetur juramentum ſuum præſtare.

DEindè in eodem loco & die, quo electio eſt facta, Rex tenetur talia juramenta aſſecurationum populo ſuo præſtare. I Ju-

I. Jurabit quòd Deum amare, & Eccleſiam ejusque jurisdictionem fovere velit, ſine læſione juris Regalis, ac bonorum Coronæ, & totius populi ſui detrimento.

II. Jurabit quòd omnem juſticiam & veritatem fovebit, diliget & conſervabit, ac omnes injuſtos & injuſta, flagitiaq; opprimet tàm conſilio, quàm Regiâ ſuâ poteſtate.

III. Jurabit quòd erit fidelis omni populo, ità ut neminem pauperem aut divitem opprimat, vel vitâ aut membris ſpoliet, niſi ſit legitimè convictus ſecundum Conſtitutiones, neque alicujus bona uſurpet, niſi ſecundum Leges, ut dictum eſt.

IV. Jurabit quòd reget & gubernabit regnum Sveciæ per indigenas, & non alienigenas, ut antiqua jura volunt, & in regno obſervatum fuerat pro lege ab antiquo: Neq; poteſt alienigena ad Regis conſilium ſumi, neque caſtris vel terris præeſſe, neq; bonis regni & Coronæ adeò antiquis, ut nemo ſciat, aut in memoria ex certitudine habeatur, illa qualiter Corona olim acquiſivit.

V. Jurabit quòd conſervabit caſtra, terras & earum fines ſuis reditibus, & ſua poteſtate, ità ut nihil diminuatur Succeſſori; Quià ille tenetur ſic diminuta & ablata cum poteſtate recuperare, aliàs fieret regnum Comitatus, vel dominium minùs.

VI. Jurabit quòd ſuſtentabit ſe, & aulam ſuam ex bonis Coronæ, ejus fiſco, prædijs & proventibus regalibus, & non onerabit ſuos ſubditos per novas exactiones, niſi propter cauſſas ſequentes. Si exercitus exterorum regnum invaſerit, ſivè ſit ille Chriſtianorum, ſivè infidelium; Vel ſi indigena opponit ſe Regi, & Rex non poteſt ſe aliter defendere; Vel ſi debet coronari; Aut circuire regnum pro feliciore introitu; Vel tradit filium, vel filiã nuptui; vel indiget ad reſtauranda caſtra, vel bona fiſci: Atq; in ijs caſibus debet quilibet Epiſcopus cum VI. nobilibus in quolibet diſtrictu ſivè Legiferatu, & VI de populo ponderare quantùm populus poteſt ſuo Regi pro tempore & facultate ſubvenire.

VII. Iurabit quòd poſſeſsiones & prædia Eccleſiarum, Clericorum, Militum & militarium, eorumq; familiam velit omni antiquæ libertati & privilegiis immũitatibusq;, ſine præjudicio Coronę relinquere & omnes Leges antiquas quas populus ſpõtaneâ voluntate acceptaverat & approbatæ fuerant à prioribus Regib. regiâ authoritate defẽdere, fovere & ſervare, ità ut iniquæ leges non prævaleant contra juſtas: Et potiſsimùm promittet, quòd nulla lex peregrina inducetur in regnum populo pro lege ſervanda, neq; aliquæ leges condentur de novo, niſi populi volun-

volũtate & aſſenſu obtẽtæ: Deindè tenetur Rex populũ ſuũ in pace tenere, poſsidereq;, & pacẽ ac libertatẽ ei ſervare; Singulariter pacificos qui ſecundum Legẽ pacemq; volunt vivere, defendet à contentioſis & injuſtis tàm domeſticis quàm exteris; Et maximè ſervare & fovere obligatur immuniratem & pacem, Eccleſię placitis, mulieribus, & cuiq; in domo propria indultam, ut hoc pacto omnis tranquillitatis & pacis uſus augeatur, & earum ſupprimatur turbatio, juxta bonitatẽ & induſtriam Regis. Poſt modùm tenetur Rex præſtare juramentum ſuum ſub hac forma, impoſitâ manu reliquijs Sãctorũ & Evãgeliorũ libro.

Sic mihi Deus ſit propitius in corpore & anima, ac Virgo Maria, & S. Ericus, omnesq; Sãcti, ac reliquię Sanctorum quas manibus tango, quòd omnes & ſingulos enumeratos articulos tenebo, ſervabo & fovebo, ſecundum noticiam & conſcientiam meam: Oportet a. Regem elevatâ manu promittere Deo & populo ſuo, ſub ſancta fide ſe juramentum ſervaturũ, ni mirùm omnib. tàm juvenib. quàm ſenib. natis quàm non natis, tàm dilecto quàm non dilecto, tàm abſentibus quàm præſentib. qui juramentũ Regis audiverunt, in nullo id comminuendo, ſed potiùs augendo omni bono, & firmando pro ſua dilectione Regali. Charitas Dei ſit cum Rege noſtro, & omni ejus populo.

Quandò Rex est sic à Legiferis,& eorum adjunctis electus, & pro Rege approbatus, & sua præstitit juramenta, tunc est verus Rex totius regni Sveciæ;Posteà potest feuda concedere,& regnum in omnibus ijs,quę superiùs sunt dicta,regere;Ac exindè secundum Deum in regno suo supremum judiciũ habere, nempè sententiam super omnes judices,& querelas populi audire,caussasq; secundũ Leges,vel secundum inquisitam aut compertam veritatem judicare, etiamsi id sibi minùs videatur placere.

CAPVT V.

Qualiter Legiferi,& qui de eorum territoriis sunt, Regi novo juramenta præstabunt.

OPortet prætereà Legiferum Vplandensem,cum reliquis Legiferis & eorum Adjunctis,in coronatione præsentem esse, quandò Rex vult infra scripta juramenta ab ipsis sibi præstanda, qui tempore inaugurationis regiæ præsentes fuerunt. Primus autem articulus quem jurabunt est, quòd omnis populus Regni Sveciæ, eum pro rege reputabit, suamque electionem ratam censebit, & ipsius authoritati potestatique obtemperabit. Secundò jurabunt quòd sub ejus stabunt obędientia,& suum mandatum exequentur in ijs, quæ licita cententur coram Deo & hominibus, ipsi quidem ut præcipiat, illis ut obtemperent, salvo Regis jure omni, & subditorum : Tertiò quòd erunt illi fideles,& fidem præstent, maximè in expeditionibus pro defensione ad confinia regni, cum eo regnum defendendo: Quartò quòd omnes tributarii qui fuerunt, & nunc sunt obligati ad tributum, debeant & teneantur omnia tributa & census debitos, Regi reddere spontaneâ voluntate absque contumacia, &illa vehere,ac transferre juxta Regis voluntatem. Denique jurabunt Legiferi, & omnis populus cum eis super librum, & reliquias Sanctorum erectis manibus, optando sic Deum sibi esse propitium quoad corpus & animam, ac Virginem Mariam, & S. Ericum, omnesq; Sanctos, & reliquias Sanctorum omnes, quas manibus tenent, quòd omnes enumeratos articulos Regi suo servabunt & fovebunt, juxta scientiam & conscientiam suam,& erectis manibus se Deo,& Regi suo fideles & synceros promittent futuros.

Per hæc autem juramenta & fidei promissiones, per Legiferos & populum eis adjunctum facta & factas, tàm juvenes quàm senes, tàm non nati quàm nati,tàm chari quàm non chari,tàm præsentes

quàm absentes quandò juramenta præstabantur,& fidei sinceritas promittebatur,obligantur.

CAPVT VI.

Qualiter Rex circuibit regnum, jucundum adventum ostendendo, & quomodò homines cujuslibet territorij ad quod declinaverit, eum assecurabunt & deducent.

TRansitus Regis in suo jucundo introitu & adventu per regnum taliter fiat: Homines illius territorij per quod transiturus est, tenentur eum sequi & securum reddere per illos, qui ei associabuntur, jurabũtq; juramẽta priùs expressa; Et debet Rex in quolibet Legiferatu sive territorio promittere atq; polliceri, quòd servabit illis omnia juramenta quę præstitit Ubsaliæ, cùm primùm eligeretur in regem, & tenetur populus ipsi etiàm id promittere servãdum quod Vbsaliæ Regi juravit. Deductio autem Regis per regnum debet fieri hoc ordine: Inhabitantes districtum Ubsalẽsem, sequenter eum ad diæcesin Strignensem, ubi inhabitatores Sudermanniæ obviam venient, eum assecurando & sequendo ad Suintuniam, illic Ostrogothi illi obviam venient, & per eorum territorium sequentur usque ad medium sylvæ, quæ vulgò Holevegen appellatur, ubi homines de

de Smolandia Regi occurrent, & sequentur eum ut priùs alteri fecerunt, per eorum territorium ad locum Junabäck dictũ; Hic Westrogothi obviabunt illi velut alij cũ assecuratione, & suis obsidibus, apparatuq;, & sequentur eum ad locum qui dicitur Romundabodha, ubi homines de territorio Nericiæ Regi obviam venient, & eum sequentur ad pontem oppúgabro dictum, ibi homines de territorio Wesmanniæ Regi obviam fient, sequendo ipsum & salvum ducendo ad pontem Östenbro, juxta quem homines de territorio Vbsalensi occurrent, salvum eum ducendo Vbsaliam. Et tunc est ille Rex justè ac legaliter ad coronam & regnum receptus, tali transitu per singula territoria facto, ritecq; electus secundum Constitutiones regni, & satisfactum est ipsi à suis, & suis ab ipso per juramenta hinc indè delata.

CAPVT VII.

Vbsaliæ debet Rex coronari & benedici.

POsteà verò quandò placet Regi coronari & benedici, hoc Ubsaliæ fiet ab Archiepiscopo, vel alibi si aliqua necessitas cogat; Convenientiùs tamen est ut Ubsaliæ fiat propter utriusq; dignitatem.

CAPVT

CAPVT VIII.

Qualiter Rex eliget Consiliarios, & quomodò jurabunt.

POstquàm Rex est electus, potest sibi eligere Consiliarios, inprimis quidem Archiepiscopum, deindè ex Suffraganeis quotquot illi vidētur utiles esse: XII autem debent esse in consilio ex Militibus & militaribus, & non plures, qui XII. tenentur præstare hæc sua juramenta super librum, & reliquias Sanctorum in suis manibus contentas.

I. Quòd illud Regi persuadebunt, quod cognoverint in veritate sibi & regno utile esse, neque hoc omittere propter favores, aut consanguinitatem vel affinitatem, aut etiàm amicitiam quamcunque.

II. Jurabunt quòd illum fovebunt in justicia secundum Constitutiones regni, cum omni eorum potentia, ut servare possit juramenta per eum populo regni præstita, & populus illi, idemq; promittent seipsos fideliter servaturos.

III. Quòd secretò servabunt quæ Rex vult secreta servari, & nullibi manifestare, undè Regi possit aut regno damnum vel periculum provenire.

Si quis

Si quis loquutus fuerit quidpiam de Rege, vel Consiliariorum uno vel pluribus, quod in honoris vel famæ regiæ, aut Consiliariorum cedat dedecus, neque id legitimè probare poterit, testantibus VI. integræ fidei viris ipsum talia loquutum, capite plectatur: Verùm si alia protulerit adversum ipsos contumeliam, quæ honorem & famam ipsorum non concernit, mulctabitur XL. marcis, aut carceri mancipabitur per mensem, illic solo pane & aquâ sustentandus.

CAPVT IX.

Cùm Rex matrimonium contracturus, qualiter donationes liceat ipsi nuptiales facere, & quomodo Regina easdem perdat.

CVm Rex fuerit matrimonium contracturus, & Reginæ donationes daturus, tales donationes fieri debent de consensu Consiliariorum Regni, tàm Episcoporum, quàm Militum, & Militarium indigenarum & non alienigenarum, quanta talis debet esse donatio: Castra vel fortalitia non donabit, sed possessiones alias, sivè curias vel prædia, juxta consensum Consiliariorum. Donationes autem tales durabunt ad vitam Reginæ, & post ejus

obitum ad Coronam redibunt. Quod si Regina transit ad secundas nuptias, vel exit è regno, & non intendit residere in regno, tenetur Rex qui regnum obtinet illi pro donationibus satisfacere, juxta arbitrium Consiliariorum regni: Nec cuiquam sit permissum ipsi donationes auferre, quamdiu innupta permanserit, & in regno resederit, nisi manifestè compertum fuerit quòd se regno opponit in ijs, quæ Regno damnosa sunt, & ex tunc privata est donationibus, aliàs non.

CAPVT X.

Qualiter nobiles tenentur Regi servire equis & armis, & in quibus locis armorum lustratio seu scrutinium fieri debet, atq; si tributarius vult fieri liber.

MOdo quo sequitur tenentur nobiles & liberi suo servire Regi: Jnprimis quicunq; vult habere suas possessiones & prædia libera à solutione tributi, sivè Miles sit sivè militaris, excepto nullo, tenetur habere equum valoris XL marcarum, & potiùs

potiùs meliorem quàm deteriorem, ephippium pro armorum usu aptum, cuspidem & arma pro reliquis corporis partibus apta, nullo deficiente quo se quis defendere potest.

Quolibet VIII. die post festum Petri & Pauli Apostolorum, fiet scrutinium armorum & armatorum Vpsaliæ de tota diœcesi Ubsalensi, Arosiæ autem ex diœcesi Arosiensi, Stregnesiæ ex Sudermannia, Oerebrogiæ ex Nericia, Lincopiæ ex Ostrogothia, & de Tiust, Kind, Vidbo, ydre, Tueta, Wist Grenna & Visingsoe, Calmarniæ ex præfectura Calmarnensi, & Oelandia, in Rijdaholm ex Tiherad, in Falchenberg ex utraque Hallandia ustrali & boreali, scaris ex Vestrogothia ac Dalia, in Tingualla ex Vermelandia, & Abogiæ ex Finlandia.

Si desiderat tributarius fieri liber, tùm compareat die præscripto, equo & armis instructus, ut qui scrutinium facturi sunt ex parte Regis, scrutinium faciant tàm de persona & ejus fama, quàm equo & armis, ac prædijs pro sustentatione status: Omnes autem tributo liberi, se præsentare tenentur quandò fit scrutinium

nium armorum sive sit Miles, sive Militaris, & personalirer arma induere, & equo proprio insidere, ac de equo & armis sic provisus, ut superiùs est expressum.

Atqui lustrationem hanc armorum nomine Regis, die & loco præfatis peragent viri certi, à Rege cum Senatorum consensu ad hoc deputati, quorum si aliquis moriatur, mox alius in locum subrogandus. Hi verò diribitores in lustrando efficient, ut singula observentur memorata & præstentur, istud munus eâ fidelitate obeuntes, prout gratiam Regiam promereri, & honori proprio studere velint propagando: Ideoque nulli superioris aut inferioris conditionis homini permittent, ut deteriori compareat apparatu in diribitorio, sed potiùs meliori.

CAPVT XI.

Si homo liber senuerit, qualiter filius pro eo militabit.

CVm nobilis senuerit, & sit inhabilis ad arma portanda, tenetur venire ad locum scrutinij ad scrutatorem Regium cum equo & armis, & allegare sua impedimenta, afferreque vicissim unum astantem;

tem qui pro se serviturus est: Debent tunc scrutatores ejus impedimenta cognoscere, & considerare si ille qui alterius loco serviturus est, sit utilis pro servitio Regni vel nō; Ac si ipse posteà ab eo recesserit, alium recipiet loco ejus, conditionibus prioribus habitis: Si autem contingat quòd quis homo liber, ex senio vel infirmitate ad scrutinium venire non possit, & habeat unum filium vel plures alijs servientes, nec versentur continuò in domo paterna, relevatur tunc ipse per eos si non est facta bonorum divisio inter eos, & non aliter, teneturq; tunc unus eorum venire ad scrutinium semel annis singulis ex parte patris, ut est superiùs expressum.

CAPVT XII.

Si homo liber à tributo, velit renunciare liberati.

SI homo liberæ conditionis velit mutare statum, redeundo ad conditionem tributariorum, quod facere non potest nisi quandò fit scrutinium armorum, & illi qui scrutinio nomine Regis præsunt, causas cognoscent quarè vult deserere libertatem, qui absq; facultate diribitorum non discessurus est ex diribitorio.

CAPVT XIII.

Si plures liberi vivunt mensâ communi simul, ut sunt pater & filius, aut eorum gener, quomodò Regi famulabuntur.

SI plures homines liberi à tributo simul vivunt, communem habentes mensam, & bona indivisa, ut pater & ejusdem filij cum eorum genero, potest tunc unus ex illis ad hoc magis aptus, pro alijs servire equo & armis, quamdiu simul sunt mensam habendo communem. Quamprimùm autem ab invicem separantur, non possunt denuò ad cohabitationem venire, sed quilibet pro se serviat qui ab indiviso recessit.

CAPUT XIV.

Si quis latitat dùm fit armorum scrutinium, vel non sit ullo legitimo impedimento detentus.

SI quis ex liberis præsumit latitare, quandò liberi ad serviendum evocãtur pro defensione Regni, vel cùm debeat de equis & armis scrutinium fieri, sine veris impedimentis, ut sunt : Quià fortè est extra regnum, vel in lecto infirmus decumbit, & hoc veridicorum æstimatione probandum: Sed qui aliter

liter latitat, nec potest purgationem suam ostendere, prout dictum est, meretur libertate privari quâ priùs fuerat usus, illam nunquàm recuperaturus nisi ex speciali gratia Regis, & puniatur insuper mulctâ XL. marcarum.

CAPVT XV.

Si quis fugerit, & deseruerit vexilla in bello regia.

SI, quod absit, contingat ut aliquis exercitum deserat, faciendo fugam à vexillo Regis eo tempore quo est hostibus congrediendum, aut ab officiali Regis qui primicerius appellatur, aut fugit in expeditionibus quas Rex, aut ejus officialis emittit, ille in his culpabilis repertus, vitam cum bonis amittet, nisi de gratia Regis vitam redimere possit. Si autem fugit ità ut capi non potest, ipse profugus manebit, nunquàm statum recuperaturus pristinum honoris, nisi hoc de gratia fiat. Si verò Capitaneus Regis imputat alicui tale crimen, & ille negat se taliter egisse, referatur ad XII. viros qui in expeditione fuerunt, & nominentur VI. utrinque.

CAPVT

CAPUT XVI.

Si quis captivetur in expeditionibus bellicis cum jactura equi & bonorum.

SI quis captus fuerit in obsequio Regis constitutus, tenetur Rex eum redimere, equum & arma restituere, & absolutum ab impedimento reddere. Et si alicujus liberi militis equus destruitur, interea dùm ingreditur exercitum & revertitur domum, tenetur tunc Rex ei alium restituere: Debet nihilominùs equus assignari Marschalco Regis, si vivit, vel doceat sufficienter quòd ipsum equum habuerit; At si equus aliter moritur quàm modo prædicto, emat sibi miles alium in locum mortui, ad militandum pro defensione Regni.

CAPUT XVII.

Si famulus in servitio domini proprium deperdat equum.

SI famulus in obsequio domini sui proprium deperdat equum, illum dominus equum in suo servitio bellico, aut alio negotio sibi exhibito deperditum, famulo compensabit, aliàs non: Verùm equus cujus solutionem famulus à domino efflagitat, si

at si vivus est, domino tùm monstrandus, & famulus XII. virorum juramentum deponet, quòd suâ non sit equus culpâ deperditus.

CAPUT XVIII.

Si equus militis liberi moritur antequàm lustratio fiat armorum.

SI equus hominis liberi moritur antequàm scrutiniũ armorum peragitur, & de illo constat per idoneos, qui præsentes fuerunt quandò moriebatur equus: Tum scrutatores illi dabunt terminum VIII. septimanarum, ad providendum sibi de equo valoris priùs expressi, & termino præfixo ad scrutatores revertatur, & sit culpæ expers si sic fecerit; Tamen tenetur arma ostendere quandò scrutinium fit, si libertatem vult conservare & eâ frui.

CAPUT XIX.

Si Miles aut militaris liberos reliquerit.

CVm habuerit Miles vel militaris filium unicum, vel plures post se relictos, ille vel illi tenebunt bona sua donec fuerint XV. annorum, postea debent ipsi, vel alter eorum nomine, in servitio Regni militare pro suis bonis, vel faciant & solvant

tributum ſicut tributarij, ſi non ad prædicta munera regni fuerint ſufficientes. Si autem Miles aut militaris filiam poſt ſe habet relictam, ipſa gaudebit eadem libertate.

CAPVT XX.

Si moritur homo liber, qualiter relicta uxor gaudet libertate, quousque tranſierit ad ſecunda vota.

ILlis viduis quarum mariti meruerunt libertate gaudere, relinquentur libertates, & eorum filijs qui nondùm ſunt legitimæ ætatis, ſine præjudicio libertatis populi: Itaque quamdiu vidua permanſerit, tàmdiu libertate gaudebit, in eum diem quo ad ſecunda vota tranſierit. Si tamen contrahit cum libero, tùm liberat bona ejus, ſed ſi contrahit cum tributario, reddet tributum ſicut tributaria. Si Miles vel militaris reliquerit poſt ſe filiam, illa gaudebit libertate patris; Si autem vidua vel filia relicta, in fornicatione invenitur, perdet libertatem illam de qua nunc mentio facta eſt.

CAPVT

CAPVT XXI.

Qualiter Archiepiſcopus, Epiſcopi, Milites, militares & præfecti Regem accedent, & qui aliter fecerint, quæ ſit illorum pœna.

ARchiepiſcopus Regem acceſſurus, XL ſolùm ſtipabitur equitibus, Suffraganeus XXX, officialis Regius totidem & non pluribus, Miles vel militaris de Conſiliarijs Regijs XII; Miles verò qui non eſt in numero Senatorum regni VIII. & non pluribus; Militares militibus ſimiles VI. & non pluribus; Minor his & tamen liber, III. & non pluribus, niſi ſit in expeditionibus: Hoc itaque modo præfati tenentur Regem accedere, ac ab eo recedere, ubicunque volunt in Regno; Qui contra fecerit, ſolvat XL. marcas, pœnâ Regi tantummodò debitâ.

CAPVT XXIII.

De hoſpitiis ac viis publicis, ac qualiter hoſpites recipiendi hoſpitio, & qualiter neceſſaria alimenta itinerantibus vendenda.

IN publicis vijs oportet hoſpitia eſſe, nec ampliùs duobus milliatib. vel ſemi tribus unum ab altero

ditabit hoſpitiũ; Sed prefecti regij debẽt eſſe in villis ubi non poſſũt hoſpitia publica cõſtitui ad vẽdendum alimenta & pabulum: Legifer verò & XII. territory Aſſeſſores, in quovis territorio tabernatores, & prefectos hujusmodi conſtituent; Sin ſecùs faciunt, & viator cõqueſtus de hoc fuerit, mulctabitur Legifer VI marcis pro quolibet diverſorio non conſtituto. Tabernator debet domum accommodare illis, qui cum benevolentia petunt, & ſtabulum, absque tamen ejectione gregis ipſius hoſpitis: Duo tabernarij debent eſſe in qualibet civitate, qui viatoribus vendent victualia, & pabulum pro equis, & omnia neceſſaria; In quacunque civitate hoc non ſervatur, ſolvet pro pœna quilibet Conſul XL. marcas, & quilibet Senator XX marcas, quæ pœna tantùm Regi cedit. Bovem autem æſtimationis ſufficientis, tenetur ruſticus, aut mercator vendere pro XII: oris, ovem antiquam pro II. ſolidis, libram lardi vel butyri pro II. denarijs, brachium fœni pro IV. denarijs, panem aut cereviſiam prout venditur die fori in proxima civitate; Pabulum pro equo, hordei nempè modius emendus eſt ab hoſpite pro II. aut IV denarijs magis, quàm venditur in proxima civitate, & quartale uno denario plus ematur.

CAPVT

CAPVT XXIII.

Si ruſtici recuſaverint hoſpitem ſuſcipere, vel plures diverterint ad tabernatorem quàm fovere poſſit.

SI tot diverterint hoſpites ad diverſorium, quot taberna diverſoria capere non poteſt, ablegabit ſuperfluam hoſpitum partem tabernator ad vicinos villicos, tot quidem dirigens ad quemlibet, quot novit illum fovere poſſe, quibus neceſſaria alimenta pro pecunijs ſubminiſtrabuntur.

Si autem ruſtici vel tabernator non vendiderint, nec hoſpites receperint ut eſt dictum, ſolvant III. marcas partibus tribus, Regi, Actori & præſidi Contractæ. Non tenetur quisquam hoſpitem plusquàm per unam noctem recipere in eodem tranſitu, & ad unam cænam, pabulumq; unius noctis vendere; Neque tenetur ad providendum de viatico & vecturis niſi hoc ipſi placuerit.

Qui violenter aliquid accipit à prebyrero, aut ruſtico, vel hoſpitatur ipſis invitis contra has Conſtitutiones, & fuerit probatum ſufficienter, oportet tunc Regem punire ipſum, auferendo ei vitam gladio, tàm majoris quàm minoris cõditionis tranſgreſſori propter tantam violentiam. Poſſunt quoq;

tales

tales capi à Legiferis & à minoribus judicibus, non tamen vitam perdere, nisi priùs per Regem examinentur, vel per eum qui fungitur Regiâ autoritate.

CAPUT XXIV.

Si violenter se in hospitio gerentes, vulnus aut mortem referant.

QVòd si quis occiditur à defensoribus aut possessoribus cùm tales excessus fiunt, occiditur impunè, ac si gladio occideretur Regali: Quòd si non solutum fuerit priusquàm hospes de domo recedit, hoc est raptum & non emptum, ac si injuriam passus injuriantem accusaverit, puniatur ut est dictum : Jam verò si hospitantem se contra injurias defendere volentem, hospites violenti occidant acie vel cuspide, aut ad effusionem sanguinis vulnerent, vel aliam violentiam inferant, livorem vel vulnus infligendo, & capiuntur in flagranti crimine, vitam pro vita perdent omnes eâ vice qui violentiam illam, verberando & pungendo fecerunt. Si v. non fuerint capti quandò violentia committitur, securi Regem accedant, vel Regis autoritatem habentem, habeantq; posteâ mensem pro termino, solvant deindè pœnam pro effusione sanguis

guinis aut livore qui hoc fecerunt; Ast quicquid in fundo passi sunt à domestico, vel ejus uxore, vel filijs vel familia, non æstimetur, & in duplo sit eorum pœna quæ domesticis inferuntur in eorum fundo.

Si recedit hospes ab hospitio iratus, quià non potuit ea facere quæ volebat, & aliâ vice infert vulnera, vel livorem eadem de caussa, vel quempiam occidit, & fuerit convictus, subjaceat Legibus superiùs expressis. Aliàs in omnibus casibus tabernarius, ejus uxor, & filij cum familia gaudebunt immunitate, quandò nemo apud eos hospitatur.

CAPVT XXV.

Si quis violenter spoliat possessorem despiciendo justas sententias.

SI quis spoliat aliquem polsessione domorum, sylvarum, aquarum, piscaturarum, vel reddit inutilia, sibi talia appropriando, vel etiàm mobilia quæcunq;, pecunias & similia, compensabit damnum, & punietur mulctâ XL. marcarum per tres partes distribuendarum.

CAPVT XXVI.

De pœna transferentis actionem in alium.

QVicunq; concedit actionē suam alteri personę, per dat jus quod habuit in illa caussa, & illi cui fit concessio

cessio non respondeatur, neq; de jure, neq; de precio: Nemo recipiat in se aliorum caussam, nisi secũdum quod Leges permittunt, qui secùs fecerit ipse mulctabitur III. marcis, in tres distribuendis portiones, & legitimo caussæ possessori supplebit quælibet damna indè accepta; Sed si quis alterius caussam in se susceperit defendendam, ille tenetur ad respondendum in illa caussa, & justitiam præstandam.

CAPVT XXVII.

Si vir liber, vel mulier permutat, vel sibi acquirit terram tributariam fraudulenter, qualiter punietur.

SI vir liber, aut mulier libera permutat, vel emit à tributario terram tributariam publicè, ut Leges permittunt, & tamen clàm inter se contrahant quòd quilibet sua possideat, attrahendo sibi dolosè reditus Regales, qui hoc facit furtum committit, secundum quod res distracta poterit æstimari: Et qui de simili furto convictus fuerit, punietur ut fur: Tributarius autem restituat tributum, quo defraudata fuit Corona singulis annis, mulctandus insuper XL. marcis, Regi tantùm numerandis. Sicut verò terra tributo libera, potest tributaria evadere, si requisita

ta secundum Leges non fiunt indè servitia. Ità etjàm terra tributaria, potest per hæreditatem fieri libera, quando vir liber, vel mulier libera est hæres tributarij; Atqui tributarius potest libertatem pacto memorato sibi comparare. Nemini denique tributariorum licet plus terræ tributariæ sibi emere quàm ipsemet colit, qui secùs fecerit cum detrimento Regalium redituum, attestantibus istud XII. territorij judicibus, damnum Regi compensare obligatur, præter XL. marcas Regi loco mulctæ numerandas.

CAPVT XXVIII.

De illo qui violat pacem per Regem alicui indultam.

QVi invadit illum quem Rex sub suam recepit turelam per suas patentes litteras, & fuerit captus, idque contra eum sufficienter probatum, sic convictus amittet vitam cum mobilibus bonis: Hæredes autem capiant bona immobilia, sed de mobilibus bonis Actor tollat tertiam partem, & Rex reliquas duas.

CAPVT XXIX.

Qualiter ille punietur, qui violat ſententiam Regis, aut ſui locum tenentis.

QVi violat ſententiam quam Rex tulit, vel ſui locum tenens, licet habeat litteras deſuper ſententiam continentes, ſolvat Regi XL marcas, quæ S.M. tantummodò cedent; Hæ XL. marcæ per XII viros extrahentur ab eo qui deliquit, primò de bonis mobilibus, quæ ſi non ſufficiant, æſtimentur domus ejus, ſi neque domus ſufficiant, æſtimetur terra, ità tamen quòd ſui conſanguinei poſsint redimere terram infra annum & diem, pro quo detenta eſt. Quod ſi non ſufficiat pro utrisque, videlicet Actore, Rege atque Contracta, deficiat tunc æqualiter pro omnibus niſi in debitis; Dabitur enim creditori integrum ratione debitorum, & Regi integra portio pro pœna. Tertiam Verò partem capiunt XII Aſſeſſores judicij, vulgò Nempdarij Regij nuncupati, mulctarum provenientium à violatoribus ſententiæ Regiæ, pro labore & impenſis ſuis.

CAPVT

CAPVT XXX.

Si creditores proponunt querelas coram Rege.

CVm aliquis conqueritur Regi ſuper debitis, & deſuper litteras habet, ac debiter nō eſt præſens, debet Rex committere uni vel pluribus, habitantibus in illo Diſtrictu ubi debitor moram trahit, qui Actori juſticiam miniſtrabunt eo die, quem Rex duxerit præfigendum cum ſuis litteris; Debitor adducat ſuam quitanciam, probando ſe ſolviſſe: Quod Commiſſarij ſignificabunt Regi per ſuas litteras, qui præſentes fuerunt quandò taliter erat actum.

CAPVT XXXI.

De venantibus & venatoribus Regiis.

QVi venatur in locis Regi reſervatis, quicunque ſit ille, perdit equum cum baliſta, & punitur in XL. marcis, & hoc examinent Nempdarij ſeu Aſſeſſores, ſi captus non fuerit in recenti crimine, quæ mulcta applicatur tantùm Regi: Campi autem Regis venatici, ſunt fundi propriè Regij & Coronæ, velut eſt peculium Ubſalenſe & ſimilia.

CAPUT XXXII.

De XII. deputandis in quolibet territorio qui, jurabunt se rectè examinaturos quis delinquat contra illa, quæ habentur in libro ubi agitur de jure Regali.

QVià nonnunquàm contingit aliquem delinquere contra ea, quæ habentur in libro isto ubi jura Regalia conscribuntur; Ideò hunc propter casum porter esse XII. viros in quolibet territorio, nominatos per Regem & populum illius territorij, qui habebunt authoritatem in quolibet territorio, examinare & manifestare secundum quod fuerit eis demonstratum, providere etiàm nè populus illius Districtus, contra Constitutiones Regales lædatur, qui tale præstabunt juramentum,

Nos precamur ità Deum nobis propitium esse, ac Sanctorum reliquias quas in manibus tenemus, quòd non faciemus ullum culpabilem qui culpâ vocat, nullum etiàm excusabimus, qui culpabilis est secũdum conscientiam & rationem quam Deus nobis dederit, hęc non omittendo propter amicitias, consanguinitates aut affinitates, aut timorẽ aut odium vel favorem; Et obligamus nos ipsos ad omnes prædictos articulos & sequentes observandũ inviolabiliter

ter sub ijsdem pœnis, sic Deus sit nobis propitius, & istæ reliquiæ Sanctorum, quas manib. contrectamus.

Quem itaq; isti XII. vel VI. ex eis purgant, sit purgatus pro Rege & Contracta, Actoreq; ; Quem verò reum dictant, reus esto pœnâ Regiâ puniendus, & privandus manu, collo, bonis & pecunijs, Regi & Contractæ, juxta delictorum qualitatẽ numerandis; Ac contra hos nemini licet appellare.

CAPVT XXXIII.

Qualiter violentia deferri debet ad Regem, & in Placito proponi, qualiterq; reus potest reijcere II. vel III. ex XII. judicij Assessoribus.

OMnem violentiam debet quis prout facta est sibi, primo die festo coram parochianis, & coram vicinis, & in Primo placito territoriali, vel Placito quod fit in contracta in qua habitat, aut infra VI septimanas coram Rege, vel eo qui ejus tribunal tenet, secundum quod res gesta fuit, proponere; Si non conqueritur ut jam dictum est, posteà non est audiendus, quià ejus actio exspiravit, & est inutilis facta, & accusatus veniet securè ad respondendum coram illis, & securus recedet, & habeat inducias XIV dierum; Quod si tunc non venerit, condemnabitur juxta delictum suum.

Si formidat accusatus nè aliquis ex XII. ducatur inordinato favore contra se, idq; vel propter consanguinitatem, affinitatem, amicitiam cum, aut persecutionem, odium aut iram, & hoc probare poterit contra II. vel III (siquidem contra plures non admittitur probatio,) oportet tunc tales de Nemda seu Assessorum numero excludere, & loco exclusorum alios in locum reponere pro illa vice, & non amplius.

LIBER

LIBER TERTIVS
DE
JVRE SVECORVM
Gothorumq; connubiali.

CAPVT I.
Qualiter fœmina in uxorem petenda.

DVm quis aliquam in uxorem cupit ducere, adeat ejus Tutorem & consanguineos proximos, petitionem afferens illis suam: Pater est Tutor filiæ, qui si non fuerit, tùm est filius senior, qui si non fuerit, tùm est senior frater uterinus, quòd si non fuerit, tunc est frater consanguineus, quod si non ille est, tunc est auus paternus, quod si non est ille tunc est maternus auus, quòd si nec ille est, tunc est Patruus, quòd si non ille est, tunc est auunculus, quòd si non ille est, tunc aliquis qui proximior est agnatus vel cognatus, quòd si æquè propinqui sunt, sit tunc ille qui est agnatus, & non cognatus, vir & non mulier, cum consilio tamen matris si vivit.

CAPVT

CAPVT II.

Qualiter mulier est desponsanda, & nè una pluribus desponsetur, & si anteà fornicario proles procreatur.

QVandò quis celebrat sponsalia cum aliqua, oportet tùm Tutorem esse præsentem cum quatuor testibus, duobus pro viro, & duobus pro muliere, & hæc est legitima desponsatio; Si quis alius quàm Tutor tradit mulierem viro desponsandam, puniatur in XL marcis, Regi Tutori & Contractæ numerandis, vel ostendat XII. testibus se habuisse plenam commissionem ex Tutore, vel probet per eosdem XII quòd hoc non fecerit.

Qui desponsat aliquam duobus, solvat XL. marcas Episcopo; Qui verò eam ultra expetit seu ambit desponsatam, solvat Episcopo III. marcas, vel probet juramento VII. testium, quòd ignoravit eam priùs esse despōsatam. Postquàm verò legitimè desponsata est, debet parochialis sacerdos ex suggestu hoc indicare tribus diebus festis, & deindè potest eam benedicere impunè: Si illam violet per copulam ante benedictionem nuptiarum, solvat Episcopo III. marcas, si consequatur tamen sobolem censetur legitima. Cùm autem quis procreat filios

filios anteà cum fornicaria, & postea contrahit cum illa conjugium, filij sunt legitimi, & admittuntur ad succedendum in bonis, licet ante nuptialem benedictionem procreati; Quià legitimando concubinam, legitimat filios priùs conceptos:

Si Episcopus separat desponsatos, tunc qui petit separationem solvet III. marcas Episcopo, & perdet donationem petens divortium; Sed si ambo dant causſam devortio, teneat uterq; medietatem donationis, & uterq; solvat III. marcas Episcopo.

CAPVT III.

Si filia recipit sibi maritum invito patre, & qualiter puniendus qui virginem defloravit.

SI quæ virgo contra voluntatem patris maritum sibi suscipit, sivè eum recipiat ut sit ejus legitimus, sivè ut cum ea fornicetur, perdet ius adeundi bona patris, vel matris hæreditario jure; Quod si pater & mater hoc illi remiserint, succedet in bonis patris & matris; Et si dubitetur an fuerit ipsi remissum vel non, hoc relinquetur per XII scrutandum. Si quis seducit alicujus filiam ad actum illicitum, cum ea dormiens, si virgo est & ex legitimo thoro procreara, solvet talis qui hoc fecit XL. marcas in tres partes dividendas, patri videlicet,

licet Regi & Contractæ: Si eam duxerit in uxorem, pæna tùm erit ejus de medietate prioris, similiter in tres partes dividenda: Si autem est ex thoro illegitimo procreata, virgo tantem, solvat tùm defloror XL. marcas; Sed si duxerit eam in uxorem, erit liber.

CAPVT IIII.

Qualiter desponsata, si amici ejus eam tradere negant, per virum recipi potest.

DEsponsatâ muliere, si sponsus vult cum ea cohabitare & matrimonium confirmare, hoc debet Tutori notificare VI. septimanis antequàm vult nuptias facère; Si ipsi denegatur, impedimento non extante, solvat XL. marcas qui hoc facit, & restituat expensas, prout IV. viri, duo ex parte sponsi, & duo ex parte negantis hanc caussam æstimaverint. Hæc sunt autem legitima impedimenta: Si sponsa infirma sit, vel aliqua impedimenta apparent, propter quæ non possuut ex Dei permissione, & judicio Ecclesiæ matrimonialiter copulari; Quod si quid talium non apparet, & eam tradere recusanr amici, tunc vadat ad placitum Contractæ illius, & ibidem sententiam legitimam susciat convocandi amicos suos ad recipiendam sponsam

sam sibi denegatam, & nominentur tunc IV. viri in placito, qui sequentur ad videndum quid agitur; Quòd si nolunt ipsum sequi, solvant III. marcas quilibet eorum dividendas in partes III. & alij deputentur in ipsorum locum: Et si sponsam aliter habere non possunt, nisi cum fractione portarum, hoc fiat impunè. Si quæ contentio exorta fuerit inter advenientes & præsidentes, quòd sponsus vult sponsam habere, ità quòd mors vel vulnera subsequantur, nulla pæna solvatur pro eo quod resistentibus infertur; Sed si illi interficiantur vel vulnerentur qui eam recipere volunt, eorum pæna duplicetur: Ac censeatur tunc jure recepta & non rapta.

CAPVT V.

Cum quibus conditionibus Tutor debet tradere desponsatam.

DVm sponsus petit à Patre vel Tutore fœminam sibi desponsari, his verbis Pater aut Tutor utatur: Ego do tibi filiam meam in uxorem, cum debita honestate, ad condormiendum tecum, & ad renendum' claves serarum tuarum, & ad posidendam tertiam partem omnium bonorum utrorumque vestrorum, quæ nunc posidetis, & in futu-

futurum posidebitis, in bonis mobilibus, & adjus omne juxta Leges & Constitutiones territorij Uplandensis, quas edidit Sanctus rex Ericus, in nomine Patris & Filij & in Spiritus sancti.

CAPVT VI.

Si mulier legitimè desponsata rapiatur, aut postquàm mulier tradita est sponso, antequàmad domum pervenit moriatur aut sponsus, qualiter tunc procedendum.

QVandò alterius sponsa ab aliquo rapitur, raptor cadit in pœnam confiscationis bonorum, & recipit unam partem sponsus, alteram Rex, tertiam Contracta; Ipse verò proscribendus non recuperaturus statum, nisi priùs pro eo intercesserit sponsus, vel ejus hæredes, si sponsus mortuus fuerit.

Postquàm autem sponsa est sponso tradita, ut illam in domum ducat, si contingat illam mori priusquàm ad domum pervenerit, vel thorum ingressa fuerit, reducatur tunc funus ad patrem vel hæredes, cum dote à patre vel consanguineis data, sponsusq; recipiat suas donationes quas illi donauerat: Idipsum de sponso affirmandum, si antea moriatur, ideoque sponsa donationes à sponso acceptas

ptas remittura: Postquam sponsa est in domum traducta incolumis & sana, debet induci in thorum cum suo sponso; Et postquàm per noctem condormiuerunt, factus est uir caput mulieris, & pro ea agere debet in judicio, & tunc debet illi donationes præbere, quas donationes nuptiales seu dotem appellamus.

CAPVT VII.

Quid potest sponsus legitimè donare sponsæ in vestimentis, & aliis bonis ante nuptias?

NOn potest sponsus plus donare ante nuptias quàm unum equum gradarium cum ephippio & fœno, mantello & capitio, nec potest ad amplius cogi; Parer sponsæ vel ejus Tutor, aut consanguinei ex proximioribus, non possunt sponsæ donare plura paria vestimentorum nova quàm quatuor, non computatis illis quas priùs habuit, & hæc potest licitè retinere; Sed alia clenodia possunt illi dare prout volunt; Octo possunt esse qui talem donationem præsentabunt, & nonus sit sponsus, & non plures: Si sponsa vult sua donare vestimenta nuptialia, det illa Ecclesijs vel Monasterijs, & non lusoribus ac histrionibus.

CAPUT VIII.

Quot scutellæ sint in nuptiis apponendæ, quot invitandi, & de eo qui venit non invitatus.

NEmo ex illis qui vult expensas facere, utpotè nuptiarum, ingressus in Ecclesiam post partum, vel exequiarum, defunctorum, vel primitiarum sacerdotalium, potest plures invitare quàm hic enumerantur; Episcopum cum Cononicis eum sequentibus, & II alios insuper Canonicos, VIII. Milites, XII. militares, X Curatos, XX tributarios.

Si quis venerit non vocatus ad prædictas potationes, si est Miles ex Consiliarijs Regis, solvat XL marcas, Miles extra consiliũ XXX marcas, militaris XX. marcas, Armiger vel presbyter VI. marcas, rusticus vel mercenarius III. marcas; Si mercenarius non est solvendo, luat corpore qui non habet in ære, serviat per annum pro qualibet marca, primo Actori, deindè Regi, & posteà Contractæ; Neq; debent Episcopi vel Milites, seu militares qui sic invitati sunt, cum pluribus equis venire, quàm expressum est in libro ubi igitur de Regia potestate, aut in jure Regio: Neq; potest aliquis à se emittere lusores ad alios pro eorum salarijs in exequijs defuncto-

functorum: Neq; debet aliquis in his quæ dicta sunt excedere, licet tamen in exequiis plures presbyteros vocare quàm X, & pauperes quotquot voluerit & potest, & non in alijs potationibus, seu conventibus amicorum: Ad hæc respiciat Exactor Regius, & levet pænas pecuniarias prædictas ac dividat, nec remittat aut ex parte Regis, aut ex parte facientis expensas. Exactor potest licitè sine speciali licentia vel mandato, de talibus inquirere & pænam exigere.

Cùm quis deliquerit in aliquib. prædictis casibus, debet tunc Exactor nominare XII. viros, domicilia habentes in illa Contracta in qua residet, ad extrahendum & æstimandum bona delinquentium, pro pæna solvenda de bonis mobilibus, sicut fit quandò pæna extrahitur pro violatione sententiæ Regalis; Qui invitaverit plures hospites quàm nunc est dictum, solvat Regi XL marcas irremissibiliter; Quandò alicui objicitur quòd venit non invitatus, & probatum fuerit contra eum III. testibus, solvat ut superiùs expressum est: Quod si non probatum fuerit sit absolutus: Et si quis accesserit ubi nuptiæ fiunt per plebejos, vel aliæ expensæ, non vocatus, pari pænâ ut dictum est puniatur.

CAPVT

CAPVT IX.

Taxa donationum nuptialium, per Milites, Militares ac plebios faciendarum.

Miles dabit uxori suæ XL. marcas argenti, de pondere usitato in regno,& non plus;Rusticus domicilium habens III. marcas in moneta usuali; Vagabūdus I. marcam;Donationes istas potest quis facere prout vult, sivè in bonis mobilibus, sivè immobilibus, cum hac conditione tamen,ut si procreant prolem, cedant tales donationes genitis ab illis pro matrimonio & non patrimonio;Si prolem non procreant, cedat tunc donatio longiùs viventi, & non liceat cuiquam hæredum sivè viri, sivè mulieris, ibi quasvis molestias inferre.

Quicunq; plus donaverit quàm jam est dictum, sit irritum, & si plus donatum fuerit,restituatur hæredibus, & donans solvat,Regi XL. marcas,quæ illi tantùm concedent: XII debent esse coram quibus donatio fit, & tertius decimus qui præsidet; Neque possunt donationes tales fieri, nisi primo die postquàm vir & uxor condormiverant primâ nocte.

Quandò autem mulier committit adulterium, & convincitur sufficienter, tunc perdit donationem

nem sibi factam, & omne id ad quod in sua desponsatione jus sibi quæsivit.

CAPVT X.

De dote restituenda.

CVm quis tradit filium vel filiam nuptui, & dat dotem in bonis mobilibus & immobilibus,tenet donatarius quamdiu donator vixerit; Eo mortuo, restituat ad divisionem cum hæredibus cum juramento; Et si vidua det dotem cum suis liberis,idem sit judicium.

CAPVT XI.

Si contentio oriatur super dote inter donarium & donantem.

SI contendat super dote ille qui dedit, & ille cui data est,& adhuc idem cohabitat cum Tutore,stetur tunc dicto donantis, qui potest dicere quantùm vult.præstando juramentum cum XII viris,& dicere hoc modo; Hoc dedi tibi & non ampliùs.

CAPVT XII.

Quandò quis pro dote impetitur.

CVm autem dos consignata est genero, & ipse impetitur super ea,& dicitur nō esse data,sterur

tunc dicto recipientis cum manu XII testium juratorum, quòd hoc erat illi promissum tempore desponsationis, & datum matrimonio confirmato II ex illis XII. testificentur, & cum alijs jurent.

CAPVT XIII.

De Tutela.

CVm vir & mulier procreant liberos, & moritur vir, ad mulierem devolvitur tutela liberorum, & habet interim quandò innupta permanserit administrationem bonorum cum consilio consanguineorum.

CAPUT XIV.

Si mulier ad secunda vota pertransit.

QVandò mulier transit ad secunda vota, & bona liberorum non sunt à bonis suis divisa, debet tunc patrimonium liberorum extrahi, & ex indiviso illa primò capit lectum cum lectisternijs melioribus, & eorum omnibus requisitis, hoc est, pulvinar, cervical linteamina, cooperturam, & meliora indumenta, nempè tunicam & mantellum cum peplis: Residuum verò in tres partes dividatur, liberi recipiant duas partes, & tertiam mater de mobilibus bonis. Nemo itaq; debet contrahere cum vidua

vidua, antequàm bona liberorum sunt extracta, & ab alijs bonis divisa, sub pœna III. marcarum.

CAPVT XV.

De bonis hæreditariis viri, & ejus prærogativa.

SI vir viduus recipit uxorem, non extractis portionibus liberorum & separatis, extrahantur tunc bona materna filiorum, & primò recipiat vir lectum, ut priùs est dictum, equum etiàm & ephippiũ, cum vestimentis pro suo corpore factis: Deindè fiat divisio in tres partes, recipiat parens II partes, & liberi I: Si denique vir vel mulier ad plura vota transierit, iudicetur ut priùs.

CAPVT XVI.

De successione fratrum uterinorum & consanguineorum, & dotibus pluribus.

QVandò bona non sunt extracta, & pluries sunt contracta matrimonia quàm semel, sivè hoc sit bis, sivè sæpius, omnes extrahant portiones suas: Vir capiat mediam partem cum omnibus illis natis, sint deindè pares quoad aliam medietatem; Ex quocũq; contractu matrimoniali sunt nati, attamen recipiant illi sicut isti; Quilibet donationes nuptialis repetat ex bonis viri, cum probationibus sufficientibus, prout donatio facta fuit in die, ad hoc superiùs determinato, si bona viri hoc patiantur, id est, si usq; eo se extendant.

Si bona non sufficiant prout donationes factæ fuerunt, recipiant tunc isti quantùm illi, cùm donatio facta fuit in mobilibus bonis; Quod si in immobilibus, tollat tunc quilibet prout sibi datum fuit: Si hoc autem fiat ex parte mulieris, & liberorum ejus, si est bis vel pluries nupta, tunc recipiat ipsa tertiam partem cum omnibus illis, & ibi tunc tantùm ille quantùm iste, ut priùs est dictum.

CAPVT XVII.

Quomodò vir potest permutare bona uxoris.

NOn potest maritus permutare bona mulieris, sivè liberos habeat sivè non, nisi cum consensu mulieris & hæredum ejus, & in tali permutatione mulieris conditio melioretur.

CAPVT XVIII.

Si Pater & Mater moriuntur, quis erit Tutor liberorum.

MOrtuis Patre & Matre, & liberis superstitibus, gerat tutelam liberorum qui proximior est in gradu consanguinitatis, ut est dictum: Quicunque verò habet bona pupillorum in manibus præter Patrem & Matrem, ille reddat rationem annuatim proximioribus consanguineis,

CAPVT

CAPVT XIX.

Si ille cui debetur tutela non est prudens, vel senio aut invaletudine gravatus.

SI non est satis prudens, decrepitus, vel valetudinarius cui comperit tutela, vadant tunc consanguinei ad placitum Contractæ, & autoritatem obtineant: Si permissa venia fuerit, sumat jus gerendi tutelã pupillorum is, qui est ad hoc utilis, prudens & habilis, & qui velit; De cõsanguineis tamen sit ipse.

CAPVT XX.

Si vir moritur, & mulier dicit se prægnantem.

QVandò vir moritur nullis liberis superstitibus relictis, & ille qui est hęres petit bona Defuncti, respondetq; mulier se grauidam ex marito suo, debent tunc bona perspici, & ad fideles manus deponi; Mulieri verò præstentur interim alimenta, & dentur sibi induciæ VI. mensium: Si tunc signa apparent quòd gravida est, illi adhuc dabuntur IV. menses, si peperit intra X menses & partus baptizatus fuerit, suscipiat hæreditatem paternam; At si tardiùs nascatur, non potest hæreditatem capere, sed mulier restituat quod consumpsit.

Si autem mulier dicit se fuisse gravidam, sed partum in utero periclitatum, hoc probet testimo-

nio II. mulierum, & juramento XII. virorum; Si defecerit in probatione per juramentum, restituat expensas seu alimenta: Si autem potest probationem prædictam facere, non cogatur restituere alimenta, sed hæreditatem perdat.

CAPVT XXI.

Si parentes fecerint nuptias liberorum.

SI Pater vel Mater nuptias fecerint filij vel filiæ, tales expensæ non veniunt in divisionem bonorũ computandæ: Sed si liberi cohabitant ex indiviso viventes, & unus ex fratribus vel sororibus, aut plures nuptui tradantur, expensæ factæ in solennitate nuptiarum computantur in divisione; Nec æstimabuntur ultra tres marcas, quamquàm sint majores; Nam si expensæ sunt majores, tantundem in divisione computandum.

LIBER

LIBER QVARTVS
DE
JVRE SVECORVM
Gothorumq; hæreditario.

CAPVT I.

De successione descendentium.

CUm moritur vir vel mulier superstitibus liberis, filius vel filia succedat; Filius quidem in duabus bonorum partibus, & filia in tertia; Et recipiat nepos sicut filius, & neptis sicut filia, sivè liberi vivant Defuncti, sive non; At quintus gradus excluditur à successione.

CAPVT II.

De successione ascendentium, & descendentium ab illis per lineam collateralem.

NOn extantibus filijs & nepotibus, succedit pater & mater si sunt, pater in duabus partibus, & mater

Mater in tertia bonorum parte; Quod si nō illi sunt, tunc sunt frater & soror, succedatq; frater in duabus, & soror in tertia parte, & tamē filij fratrum sicut frater, & neptis sicut soror usque ad V. gradum, quamvis ex fratribus vel sororibus aliquis vivat; Quòd si non illi, tunc sunt avus paternus, & avia paterna: Avus succedit in duab. partibus, avia in tertia parte; Qui si non sunt, tunc est avus maternus, & avia materna, auus maternus in duabus, avia materna in tertia; Quod si non sunt illi, tunc sunt patruus & amita, patruus in duabus, & amita in tertia; Non extantibus illi, tunc sunt avunculus & matertera; Avunculus in duabus, & matertera in tertia parte; Quod si non sunt illi, tunc est frater patruelis vel amitinus, & consobrinus frater; Patruelis & amitinus in duabus, & consobrinus in tertia. Qualitercunq; autem patruus & amita ipsius mortui veniunt ad succedendum, semper dabunt filijs fratrum suorum, vel filiabus partem bonorum, illi duas partes qui est ex fratre, illi qui ex sorore tertiam usque ad V. gradum. Quotiescunque verò lis est super bonis paternis vel maternis, sivè sit vir, sivè mulier, & sunt in pari gradu mortuo juncti, succedat tunc agnatus in duabus, & cognatus in tertia; Quòd si alter sit propinquior, succedat tunc in universo, & non det aliquid ex altera parte venienti,

CAPVT

CAPVT III.

De successione descendentium ex Patre, & collateralium ex Auo, ac superiùs descendentium.

QVandò lis est inter descendentem à cōmuni stipite, & descēdentem à superiori gradu, & tales litem moventes æquali gradu distant seu attinent ipsi defuncto, succedant tunc descendentes à stipite, & alij repellantur; Hi enim dicuntur à pectore procedere, illi autem qui à superioribus descendunt, dicuntur retrò venire.

CAPVT IV.

De successione eorum qui mortui nascuntur.

QVandò opponitur per hęredes quòd partus fuit præmortuus, & mater ipsis opposita dicit vitam habuisse & baptizatum fuisse, ibi standum est testimonio obstetricis, quæ supplet duorum testium vices, & mater succedit.

CAPVT V.

De rapta muliere intra XL. septimanas pariente.

QVandò mulier rapitur violenter ab aliquo, & parit infra XL. septimanas à tempore raptus, quo in mariti sui lectulo erat cum eo, tunc partus succedit.

CAPVT VI.

De his qui casualiter moriuntur.

QVandò vir &uxor cum eorum filijs moriuntur in una navi,&ignoratur quis præmortuus sit,ibi succedunt hæredes viri viro,& mulieris hæredes mulieri;Item si in vehiculo sedendo sub glacie absorbeantur;Item si in igne conflagrent;Et si per exercitum trucidentur,idem erit judiciũ; Si in bello moriuntur eodem modo judicetur: Si qui simul recedunt,& de ijs nunciatur quòd sint mortui,nec constat quis eorũ mortuus est priùs, judicetur ut priùs; Quòd si alter tamdiu vixerit post alterius mortem, ità quòd possit recipere Eucharistiæ sacramentum, sit ipse alterius hæres;At si non valet loqui,nec recipere sacramentum, ibi stetur testimonio duorum testium qui præsentes erant.

CAPVT VII.

De successione Bannitorum,& filiorum eorundem, & si mulier fugerit cum viro suo.

QVandò ille qui bannitur,vel in exilium relegatur, fugit cũ uxore de regno, filiosq; procreat extra regnum constitutus,tales parentibus nõ succedunt:Quòd si filios procreant,& posteà restituantur,prolesq;nascitur post restitutionem in regnũ, taliter

taliter natus succedit parentibus;Quòd si proles concepta priusquàm bannirentur, ubicunque nascatur illa semper succedit.

Si mulier fugit cum viro,neq; bona mobilia, neq; immobilia perdet.Si autem vir fugit,& mulier manet,si clam ipsum accedens ipsa ab eo concipit,non succedit natus patri: Quod si bannito aut ejus filijs cõperat in aliorum bonis jure hæreditario successio durante banno, si restituitur vitæ suæ tempore,succedat; Si non restituitur, succedant propinquiores consanguinei qui in regno sunt.

CAPVT VIII.

De successione fratrum utrinque ad invicem, ac uterinorum & consanguineorum.

MOrtuo patre & matre, & superstitibus filijs naturalibus legitimis utrinq;,& uterinis sivè consanguineis, si unus ex utrinque moritur, succedant tunc illi qui utrinq;sunt in tribus partibus,& uterini seu consanguinei in quarta parte, sivè sit frater, sivè soror, sivè sint pauciores, vel multi, conjunctim ex uno patre & matre,vel divisim ex diversis, hoc est, sivè sunt uterini, sivè consanguinei, non succedant nisi in quarta parte possessionum, ut æstimatur in villa principali in qua situatæ sunt,& par portio pro pari.

Si autem sunt plures tales diversitates fratrum, & una species extincta est sine stirpe, succedat stirps stirpi, & nemo alius succedat: Si moritur filius, & superstes est pater vel mater (dummodò alter eorum sit mortuus) succedat in medietate pater vel mater, & in alia filius defuncti ex utrinque. Si moritur filius unicus superstitibus patre vel matre, succedat in toto, quamvis fratres uterini, & fratres consanguinei sunt, nisi descendentes sint, qui præferuntur: Si non sunt fratres ex utrinq;, neq; alij ut suprà memoratum, succedunt tunc pater & mater, & non dant alteri quidquam.

CAPVT XI.

Cùm moritur vir, & uxor ignoravit se gravidam, & hæres admittitur, mulierq; interficiter ab hærede.

QVandò maritus præmoritur, uxore ignorante quod gravida esset, hæresq; mariti dicit quòd non habent prolem, & ideo mulier non potest succedere; Mulier autem ignoravit quòd gravida sit, & admittit hæredem ad succedendūm in bonis mariti; Postmodùm oritur fama quòd gravida fuit, & ille hoc intelligit qui succesit, & occidit mu-

dit mulierem, quià non vult perdere bona ex tali successione acquisita, vel aliàs procurat eam occidi, illa sepelitur & posteà manifestatur, quòd ille procuravit eam occidi, vel aliàs extingui, & si super hoc sunt testes veri, tùm ipsa ex sepulcro levari, & ejus corpus aperiri, & si ibi invenitur dispositio prolis, vel aliqua talia signa, tunc succedat proles in bonis, & mater succedat proli, & sui hæredes sibi: Ibi succedit mortuus & paganus, vivusque & baptizatus excluditur, quia nemini licitum est aliquem occidere ut sit hæres.

CAPVT XII.

Quomodò hæreditas adeunda si maritus uxorem, vel uxor maritum præter voluntatem, aut casualiter occidat.

SI maritus uxorem eà rigiditate plectit, ut indè præter voluntatem & intentionem mariti moriatur, cum illo procedendum, sicut in progressu operis de homicidio præscribitur; At illam bonorum deperdit partem, quæ ex bonis cum uxore acceptis erat aliàs ipsi levanda, neq; ab ipso, aut illius hæredibus postmodùm adeunda; Nisi liberos invicem habeant, qui capient maternam portionem, & sub tutela consanguineorum ex linea materna proxi-

proximorum, unà cum bonis post matrem acceptis sunt mansuri, si minorennes, donec ad ætatem pervenerint legitimam.

Sed si liberos invicem non habeant superstites, tunc capiant Defunctæ partem illius proximi hæredes, cùm nemo ipsius possit esse hæres quem occidit; Immò si liberi Defunctæ postmodùm moriũtur sine liberis, non capiet hæreditatem ullus ex linea paterna defunctæ, sed ex materna: Eodem jure procedetur, si uxor maritum interimit præter voluntatem; Siquidem nihil de mariti capiet bonis, aut donationibus nuptialibus â marito acceptis, & per matrimonium acquisitis; Verùm ea omnia liberi consequentur, sub tutela consanguineorum paternorum futuri, donec ad legitimam pervenerint ætatẽ: Sin autem liberi superstites non sint, tùm hæreditatem hujusmodi adibunt consanguinei mariti, mulctam insuper pro homicidio de bonis capientes uxoris. Denique si alter alterum casualiter occidat, tùm mulcta deponetur prout decernitur titulo de Homicidio Casuali, omnia insuper amissurus quæ alter cum altero aliàs erat consequuturus.

CAPVT

CAPVT XI.

Quo pacto hæreditas petenda, si parentes ità liberos castigant ut indè moriantur; Aut si mater infantem in lecto cubans suffocet; Vel si parentes casualiter liberos occidant.

IAm possunt liberi eâ indiscretione castigari, ut indè moriantur, tunc mulcta est illa deponenda quæ præscribitur titulo de Casuali Homicidio, & non vita pro vita petenda: Occisor autem sivè voluntariè, sivè non homicidium committat, nunquàm hæres occisi statuetur; Verùm si mater infantẽ suum involuntariè in lecto cubans suffocaverit, neq; vitam, neque hęreditatis jus amittet: Quòd si consanguinei infantis paterni affirment, matrem voluntariè infantem in lecto appressisse, tùm se purgabit juramento XII. suorum consanguineorum; Sin tot non habeat mulier sibi sanguine junctos, tùm caussa devolvetur ad XII. judicij territorialis Assessores, sivè eam, legitimo caussæ facto examine, velint absolvere, sivè condemnare: Si mulier secundas adiverit nuptias, cavebit nè infantem collocet in lecto cum ipsius vitrico; Quoniam si mo-

si moritur cubans cum illo, mater infantis non hæres. Jam verò possunt consanguinei paterni contendere, unà cubantibus patre & matre esse infantem oppressum, illis denegantibus, tùm controversia devolvetur ad Assessores Iudicij territorialis, à quibus si condemnentur, XL. marcis mulctandi, & hæreditas extradenda. Atqui si parentes casualiter interimant liberos, mulctandi prout statuitur in jure de Homicidio casuali, amittentes insuper illam portionem hæreditatis, quæ aliàs ratione occisi adeunda; Si occisus habet germanum superstitem, tùm ille est occisi hæres, & hæreditatem capiet sub custodiam ille, qui proximus est occisi consanguineus ex alia parte, & non occisor, idq; si germanus ad ætatem non pervenit legitimam, aut si non sunt pater vel mater superstites qui non occiderunt.

CAPVT XII.

Quandò liberi ex indiviso simul vivunt, & arte aliquâ lucrantur.

QVandò liberi simul vivunt ex indiviso, & aliquid per artem lucrantur, frater tunc recipiet portionem fraternam, & soror sororiam; Et divi-

visione factâ, restat dividere bona paterna & materna, & non hoc quod arte lucratisunt.

CAPUT XIII.

Quandò hæredes volunt dividere bona.

CVm fratres volunt dividere bona, debent adesse eorum consanguinei, & sortem mittere saltem pro duabus partibus; Si unus fratrum dicit missam sortem, & alius negat, standum est dicto illius qui dicit missam esse sortem, & qui hoc vult probare juramento cum propinquis, quòd bona quæ habet obtinuit per sortem, & legitimam divisione cum fratre & sorore factam, & tunc sors confirmat divisionem illam.

CAPVT XIV.

Quandò liberi dicunt inæqualiter esse divisum, & petunt ut suppleatur ad æqualitatem.

QVandò aliquis ex cohæredibus dicit portionem suam deteriorem, & petit completionem, standum est tunc petitioni illius, qui intra annum & noctem petit æqualitatem fieri; Et tunc reporta-

bunt cohæredes cum juramento quicquid receperant, ac propinquiores aderunt ad minimũ XII recipiatq; ex agnatorum & cognatorum numero quotquot poteſt XV. annorum, & ſic cuiusq; portio erit rata; Idque taliter intelligatur, ut unusquisq; teneat quod priùs habuit, ſed ubi ſupplendum eſt ſuppleatur, & nulla penitùs diviſio de novo fiat. Quòd ſi adhuc poſteà contendant, debent tunc XII. conſanguinei prædicti jurare, quòd æqualiter magis diviſionem facere inter illos non potuerint. Atq; ſic poſteà contentus quilibet ſuâ portione, non audiantur petentes ſuppletionem, neq; filij eorum.

CAPVT XV.

Quandò aliqui contendunt de hæreditate, dicentes alterum proximiorem eſſe.

SI qui litigent ſuper bonis jure hæreditario acquiſitis, & quilibet poſsidet partem ſuam, eſt tunc æquum & juſtum, ut qui manifeſtiorem probationẽ habet quòd proximior ſit, ille ſuccedat. Quòd ſi hoc dubium eſt, & non clarè conſtat quis propinquior ſit, debet Legifer in Placito examinare conſanguinitatem illam, illique bona adjudicare qui meliùs ſententiam probat: Eâ tamen conditione, ut ille cui debent bona adjudicari, XII. virorum juramento verificet ſuam conſanguinitatem eſſe veram & non fictam: Quotuor autem ex illis ſint qui teſtificantur, duo ex parte paterna, & duo ex parte materna infra ſextum gradum, & hoc fiet infra triennium, aliàs retineat quis hæreditatem quam habet.

CAPVT XVI.

Si quis ante triennium movet controverſiam iniquè hæreditatem poſſidenti.

CVm aliquis eſt propinquior quàm ille qui bona occupavit, & convenit talem in judicio priusquàm triennium ſit elapſum, capiat talia bona per teſtes idoneos, & judicij Sententiam, non obſtante quòd ad aliquem alium ſint jure hæreditario devoluta; Quoniam hæc eſt retrograda hæreditas, quæ non à legitimo hærede accipitur, eaque jure repetitur, ut dictum eſt.

CAPVT XVII.

Nemo potest alteri objectionem facere, quòd sit cum aliqua fornicatus vel adulteratus, nisi sit deprehensus, vel appareat proles.

NOn potest quis alteri imputare quòd fornicatus sit, vel adulteratus cum aliqua, nisi sit deprehensus cum illa, vel appareat proles ex eo suscepta: Quòd si aliquod horum sit, & sibi impingitur, purget se XII. virorum juramento tàm ratione prolis, quàm etiàm condormitionis, ità quòd cum ea nunquàm condormivit illis XL septimanis, infra quas prolem edidit: Aliàs solvat III. marcas, quæ cedunt Tutori mulieris.

CAPVT XVIII.

Qualiter Pater & Mater obligantur, ad præstandum alimenta filijs in fornicatione conceptis.

MAter tenetur ad alendum filium donec sit III. annorum, pater donec sit VII. annorum, & interim uterque curam geret de illo, nè incidat eorum negligentiâ in periculum mortis usque ad septennium; Si verò datur proles educanda nutrici, & apud eam ex negligentia deperditur, hoc relinquatur judicio episcopi, quis ex prædictis debet pænam subire.

CAPVT XIX.

Qualiter illegitimi liberi succedunt, & quomodò succeditur illis.

SI contingat filium naturalem tantùm, vel conceptum ex concubinatu dirari, si moritur succedet pater in duabus partibus, & mater in tertia parte bonorum: Quod si horum alter tantùm sit superstes, recipiat totum; Quod si non sunt tales, fiat successio ut in alijs est monstratum. Bona relicta per naturales filios cedunt consanguineis, sicut bona aliorum descendentium: Sed illi non succedunt parentibus nisi in tribus marcis, duabus post patrem, & unâ post matrem; Sed si mulier ante contractum cognita fuerit, & post desponsationem filios suscipiat, succedant in VI. marcis naturales, & illegitimi ex concubinatu in III marcis, sivè plures sint, sivè pauciores; Si verò hæreditas sit minor, nihil accipient; Neque ex concubinatu geniti aliter hæreditatem hanc adeunt, nisi in linea recta à pectore, ut dicunt, descendente.

CAPVT XX.

Filij ex damnato coitu non ſuccedunt in aliquo.

SI procreati in adulterio vel inceſtu, aut ubi com- paternitas vel commaternitas intervenit, in nullo penitùs ſuccedunt.

CAPUT XXI.

Quandò aliquis impetitur ſuper aliquo quod ſibi ex diviſione ceſſit.

SI aliquid impetitur quod alicui ex diviſione pro- venit, id ſi impetitur pro uno, impetitur etiàm pro reliquis, ſivè ſit dandum ſivè retinendum, de- hoc experiantur hæredes, & Statutis ſe defendant vel expendant.

CAPVT XXII.

Nulla ſit bonorum diſtractio vel diviſio poſt mor- tem alicujus, niſi debitis priùs ſolutis.

CVm quis moritur debitis oneratus, fiat ex pre- cio debitoris ſolutio, & quod ſupereſt hære- dibus

dibus cedat: Quòd ſi bona non excedunt, ſol- vantur debita de illis bonis: Quòd ſi bona non ſunt, erit difficilis ſolutio, cùm non ſit, nec poſsit ab hæredibus aliquid extorqueri: Ideò nemo poteſt bona mortui dividere, niſi debi- tis priùs ſolutis: Si non ſunt bona pro ſolvendis debitis integraliter, debet deficere in quovis de- bito æqualiter ſolutio, non in uno vel altero tantùm.

CAPVT XXIII.

De ſucceſsione Fiſci.

CVm moritur ille qui non habet hæredem in regno, ſi hæres venerit infra annum & no- ctem cum ſufficientibus probationibus quòd ſit defuncti hæres, ſuccedat tunc in bonis: Quòd ſi non venerit infra annum & noctem, cedant bona Regi, ſivè ſunt mobilia ſivè immobilia, & hoc appel latur communiter, Dana Arf. Iam ſi ulli bona immo- bilia ſunt donata, recipiat ille qui talia dedit; Si verò eſt indigena mortuus, & ſcitur qui ſunt ejus hæredes, maneat tunc hæreditas illa donec adveniat qui eſt

hæres

hæres: Quòd si ignoratur qui sunt, & non mittitur nuncius ab eis, vel alia certitudo ubi sunt, vel ipse hæres infra annum & diem venerit, succedat tunc Fiscus in una medietate, alia medietas pro ejus anima expenditur: Verùm si clericus est qui hoc modo sine hærede obijt, tùm Episcopus partem Regis percepturus.

LIBER

LIBER QVINTVS
DE
JVRE SVECORVM
Gothorumq; Agrario.

CAPVT I.

Quotuplex est legitima acquisitio prædiorum sivè agrorum.

QVinque sunt modi quibus prædia & terrarum precia acquiruntur, secundum Constitutiones hujus Regni: I. est, si acquisita est terra per hæreditariam successionem, si legitimè quis successit: II. est permutatio, si est legitimè permutata: III. est per emptionē, si est legitimè empta: IV. est per donationem, si est legitimè donata. V est per impignorationem, si est legitimè impignorata, & præscriptione acquisita. Hæ sunt quinq; acquisitiones sufficientes tàm terrarum, quàm aquarum & piscaturarum, & omnium attinentiarum, prout clariùs in sequentibus apparebit, etiàm quæ

acquisitiones sunt justæ vel injustæ; Quòd justum est stabit, & quod est injustum jure retractabitur. Quià quod est legitimè acquisitum, est jure acquisitum, & quod illegitimè est acquisitum, est non acquisitum, donec possessio adeò sit antiqua, quòd amplius in memoria hominis non sit quando acquisita.

CAPVT II.

Cùm unis vult terram vendere, tenetur eam in Placitis venalem offerre.

CVm quis vult terram vendere hæreditario jure acquisitam, debet tunc tribus Placitis terram suam consanguineis suis venalem offerre, paternam agnatis, & maternam cognatis: Deindè habeat ille cui jus emendi competit inducias unius anni & noctis, emendi & solvendi; Quod si infra talem terminum non emerit, vendat tunc possessor terram cuicunque voluerit; Et veniens posteà pro suo jure agere quicunque velit, non audiatur, & nemo cognatorum deinceps contractum eum irritum reddere potest.

CAPVT

CAPVT III.

Quomodò jus emendi habentes possunt terram emere?

QVandò jus habentes emendi terram, eam emere volunt, emant illam secundum æstimationē trium virorum, pro qualibet parte deligendorum, non secundum arbitrium emere debentium, prout olim extitit observatum: Qui autem alijs terram suam vendiderit quàm consanguineis, præjudicium gravando, puniatur III. marcis, & consanguinei terram redimant quandò volunt.

CAPVT IV.

Si lis oriatur inter illos qui prætendunt se jus redimendi habere?

QVandò contenditur super eo, an terra fuit legitimè ad vendendum oblata, standum est tunc dicto XII. virorum illius Contractæ, in quos litigantes consentiunt, ex quorum dictis si constiterit quòd fuit oblata, & terminus à Lege præfixus, est expectatus, judicandum est pro possessore: Quod si non, revertitur ad consanguineos, & ab illis emenda judicabitur: Qui autem vendidit precium restituat, & pænâ III. marcarum puniatur.

CAPVT V.

Si vult maritus vendere terram uxoris suæ.

CVm quis vult vendere terram uxoris, offerat illam consanguineis uxoris, prout deberet facere si suam propriam vendere vellet: Nec tamen plus vendat de terra illius quàm tertiam partem, & de propria vendat duas partes.

CAPVT VI.

Si contentio fiat inter jus emendi habentes, quis eorum sit propinquior.

CVm contentio est inter consanguineos, & plures prætendunt se jus habere ad emendum terram, videatur tunc quis est propinquior in casu capiundæ hæreditatis, ille etiàm erit potior in emptorum admissione: Si autem non offert precium competens, qui visus est propinquior ex consanguineis esse, sit ille tunc propinquior ex consanguineis qui legitimè offert precium infra noctem & annum: Quòd si sint æquè propinqui in consanguinitate, sint tunc pares ad emendum quilibet pro sua medietate. Si adhuc contendunt, & quilibet dicit se esse propinquiorem, tenentur ire ad Placitum Contractæ, & ibi eorum quilibet III. eligere viros, & illi VI. electi examinabunt quis ex prædictis propinquior sit, & prout illi VI. jurant & testificantur, sic ad emptionem admittantur.

CAPVT VII.

De Placitis in Contractis habendis, & qualiter Præses Contractæ tenetur ibi adesse.

QVælibet Contracta habeat Præsidem, qui præsideat in loco Placiti sabbatho proximo post Dominicam quæ est Dominica mediæ Quadragesimæ: Nam quicunque vult mutuam accipere annonam ad seminandum, vel etiàm pecus ad alendum, debet tunc terram quam impignorare vult, in Placito exponere, & datur illi terminus usque ad festum Purificationis Mariæ: Hoc servetur quæcunque terra pignori datur, & in illo Placito quo quis terram impignorat, debet Præses Contractæ nominare II. viros domicilia habentes eadem in parochia ubi habitat, & illis sit notum quantùm mutuum cæpit, & quid & quantùm cupit: Et illi etiàm debent esse præsentes cùm solutio fuerit facienda; In præsentia etiàm II. nominatorum debet terra redimi, & tunc terra offeratur redimenda tribus in Placitis ante diem Purificationis Mariæ: Si autē redimit ille cujus est terra in die Purificationis præ-

dicto, vel priùs, sit sua; Quod si non, tunc ejus con
sanguinei possunt terram redimere infra annum &
noctem, à tempore quo illam impignorans redimere
debebat.

CAPVT VIII.

Si hæres habens jus emendi est extra Regnum, vel minorennis, aut Virgo.

SI jus emendi habens alicujus, bona immobilia
est extra Regnum, habeat terminum post red
rum suum in regnum, annum cum nocte: Si est mi
norennis, habeat & ipse annum cum nocte, postqu
annum XV. attigit: Si virgo, gaudeat & illa prædicto
termino, postquàm fuerit tradita viro: Qui non ob
servat terminos nunc expressos, sit seclusus ab illa te
ra, & possessor potest eam licitè retinere.

CAPVT IX.

Quibus bonis terra redimi potest.

HÆc sunt bona cum quibus terra impignorata
potest redimi; Aurum, argentum, pecunia, an
nona, boves, lardum, butyrũ, burellum, tela, ferrum,
cuprum, pannus non formatus; In tanto autem pre
cio debet terra redimi, in quanto fuit impignorata,
& non pro arbitrio consanguineorum, ut olim fuit.

Et illi qui præsentes aderant quandò precium, seu
mutuum dabatur & recipiebatur, illi debent tunc et
iàm præsentes esse in restitutione, & illa bona quæ
dantur in solutionem æstimare: Quod si illi sunt
mortui, nominet tunc Præses alios in locum eorum,
cum quibus sunt, mutuum dans, & mutuum recipi-
ens contenti, & standum est arbitrio illorum.

CAPVT X.

Quomodò terra est impignoranda.

QVandò quis vult terram suam impignorare, de
bent adesse quatuor viri domicilia habentes
cum Præside; Duo quidem pro cujuslibet par-
te & æstimare terram quantùm valere potest in Pla-
cito, & secundum illorum æstimationem impigno-
rabitur, sicq; redimetur, & non cariùs.

CAPVT XI.

Quandò terra potest in aliam, & in alium locum permutari.

CVm quis vendit terram hæreditario jure acqui-
sitam, aut permutat, vel alibi emit, ipsa terra est
hæreditaria, & non peculiaris, illaque debet of-
ferri consanguineis: Sed qui terram suâ industriâ sic

quæsi-

quæsivit, faciat cum illa quicquid sibi placet, ven-
dere vel donare; Et vendat quantò cariùs potest, nil
sit per successionem acquisita, vel empta ab illis qu
jus emendi non habebant, illaq; exhibenda est ite
rùm jus emendi habentibus.

CAPVT XI.

Omnes alienationes terrarum fiant in Placito coram Præside.

IN omni loco ubi quis vult terram alienare, legi
timè vendendo vel permutando, ibi debent XII
domiciliarij præsentes esse pro contractus firmita
te, in ea Contracta in qua terra est situata, & Præ
ses declarabit & nominabit alienare volentem, &
hac utetur verborum formâ: Iste alienat à se terra
suam tantam, & in tali villa situatam cum omni
bus attinentijs, remotè & propè manentibus in fun
do & extra, & alienat eam à se & suis hæredibus
& appropriat illi, ac illius hæredibus pro tanta pecu
niarum summa; Et isti XII. sunt nominati pro hu
jus contractus firmitate, nosq; sumus omnes testes
quòd hoc sit in Placito legitimè factum.

Quòd si terra illa impetitur, debet tunc ille
pro quo impetitur, nominare XII. qui pro firmi-
tate

tate contractus fuerunt præsentes, & debet tunc il-
lorum XII. quilibet jurare & optare sic sibi Deum
propitium, quòd talis emit ipsam terram legitimè
oblatam, & nos sumus nominati pro firmitate con-
tractus; Si qui sunt mortui ex illis pro firmitate
contractus nominatis, vel sunt extra regnum, vel
legitimè impediti, ut infra dicitur, ità ut nequeant
adesse, nominentur tunc alij in locum absentium,
qui in Placito aderant cùm contractus fieret, & illi
jurabunt, prout alij qui adesse non possunt jurare de
buissent. Si potest ipse juramentum vel probatio-
nem facere, debet tunc Præses emptionem appro-
bare & legitimam judicare, posteaq; nemini sit lici-
tum ipsam impetere, quæ semel est legitimè de-
fensa; Quià id quod est legitimè defensum pro uno,
censetur & tunc defensum pro omnibus alijs qui
imposterùm agere volunt.

CAPVT XIII.

De alienatione terrarum plurium fundorum.

CVm quis vult in pluribus vendere fundis ter-
ram quàm in uno, in quot fundis vendit, toti-
ens XII. nominatos pro firmitate contractus habe
bit, tàm in recipiendo precio, quàm in dando.

CAPUT XIV.

Qualiter vendens tenetur de emptione cavere.

QVandò quis emit terram ab alio, caveat venditor de emptione, & emens de dominij translatione: Si quid impetitur in illa emptione, producatur ille à quo terra, vel res alia est obtenta, si ille qui vendidit potest dominium transferre, rata sit emptio; Quod si non possit haberi à quo res est empta, vel producitur & dominum transferre non potest, tunc quilibet recipiet suum, & qui vendidit, potestatem transferendi non habens dominium, solvat III. marcas.

CAPVT XV.

Qualiter emptor venditorem astringere debet, cum XII. nominatis in Placito pro firmitate contractus.

CVm quis terram emit sivè à clerico, sivè à laico, astringatur tunc verus possessor per XII. nominatos in Placito pro firmitate contractus, & non admittitur ad aliquid negandum si illi haberi possunt.

CAPVT

CAPVT XVI.

Cùm terra alienata pervenit ad plures possessores.

CVm quis alienat terram suam, sivè vendendo, sivè permutando, & posteà transfertur de uno in alium usq; ad tertium possessorem, vel ulteriùs, si impetitur terra ista pro eo qui primùm alienavit, & illam defendere non potest, puniatur, quià vendidit sine dominio, & etiam propter violentiam, si est ibi facta; At medij sunt immunes, & recuperent illi pecunias qui pecunias dederunt, & illi terram qui terram habuerunt, nisi ttibus annis inveniatur non impetita fuisse, ut imposterùm dicetur.

CAPVT XVII.

Terra virginum, minorennium, & fatuorum, absque illorum lucro divendita, jure posteà repetitur.

NEmo habet potestatem vendendi, vel permutandi terram minorennis, virginis, aut non compotis rationis, nisi ad meliorandam conditionem ipsorum; Ità tamen quòd quandò pervenit ad annos legitimos minorennis, virgo nupta fuerit, & fatuus sanitati mentis restitutus, possint, si velint, talem permutationem ratificare, vel retractare.

CAPVT XVIII.

Quomodò præstanda alimenta filiis, parentibus fugientibus.

SI vir fugit ab uxore, vel uxor à viro, vel peregrè proficiscitur, tunc necessè est habeant alimenta filij remanentes; ideò potest tunc alter conjugum qui remanet, vendere quicquid vult de bonis mobilibus pro alimentis: Et habeat tantam vim in hoc casu quod facit mulier, sicut si facere & vir, computabuntur q; viro duæ partes, & tertia mulieri; Quamdiu autem matrimonium durat, contractus utriusque conjugum tenet, sivè emant, sivè vendant.

CAPUT XIX.

Præses Contractæ dabit litteras super contractibus coram se factis.

SVper omni contractu qui fit in Placito, sivè permutet quis, sivè emat, sivè sit modicum sivè multum, plus vel minùs, Præses Contractæ dabit suas litteras, per quas cavebit quòd talis terra est legitimè in Placito oblata, & legitimè ejus venditio intimata, nominenturq; in litteris illi qui inter se contractum fecerunt: Sic & omnes illi coram quibus contractus fiebat, & qui pro contractu roborando nomi-

nominati fuerunt: Exprimat etiàm in litteris ipsam terram, & quanta sit, & ubi situata est, ac diem & locum ubi contractus factus est; Et dabit emens pro litteris hujusmodi solidum: Si autem fit promutatio terrarum, capiat tunc uterque litteras ab illo Præside, in cujus Contracta situata est terra; Ibidem etiàm eligantur illi, qui pro roborando contractu sunt nominandi.

CAPVT XX.

Si litteræ pereunt, vel aliàs destruuntur.

QVandò destruuntur litteræ per Præsidem datæ, standum est tunc dicto XII. nominatorum pro roborando contractu, & XII. aliorum qui in Placito præsentes fuerunt, an litteræ fuerunt datæ vel non: Quòd si tunc contractus fiat coram Legifero, dabit tunc Legifer litteras suas cum omnibus cautelis priùs expressis, & solvatur scriptori media ora: Vbi verò Legifer vel Prçses dant litteras super contractibus bonorum immobilium, sivè sit emptio, sivè permutatio, semper exprimant nomina contrahentium, & illos qui pro roborando contractu nominati fuerunt, ac terram quæ emitur, & ubi situata est, & quanta est, & quantam pecuniarum summam emens dedit: Sed si permutant, quælibet permutata

terra nominetur in litteris tàm illa quæ datur, quà illa quæ recipitur, sivè in Contracta, sivè extra Contractam: Si deniq; superadditur pecunia, hæc etiàm in litteris exprimatur, quam nempè monetam accepit, & quanta summa fuit, vel in quibus alijs rebus.

CAPVT XXI.

De confirmatione litterarum per Regem facienda.

HAbitis litteris Legiferi, vel Præsidis, si posteà accedunt Regem pro litteris illius, tenetur Rex eorum litteras confirmare, si sunt contrahentes præsentes, vel legitimè obtentæ appareant litteræ illius qui terram vendidit, aliàs non.

CAPVT XXII.

De litteris super Sententia lata per Legiferum.

LEgifer tenetur dare litteras super omnibus Sententijs quas in Placitis profert, etiàm in casu appellationis ad eum, & pro litteris hujusmodi solvetur ut priùs est dictum: Omnes autem litteræ dandæ sivè per Regem, sivè Legiferum, sivè Præsidem, debent scribi in vulgari hujus Regni idiomate.

CAPVT

CAPVT XXIII.

Quomodò utrinq; fit permutatio & emptio.

SI in contractu est permutatio & emptio, ac permutatio est major quàm emptio, tunc standum est dictis XII. nominatorum pro permutatione roboranda: Quòd si terra empta est major, & permutata minor, adjudicabitur terra consanguineis empta, & stabitur dictis XII. nominatorum in contractu emptionis; Si autem terra empta & vendita est æqualis, ad consanguineos revertatur.

CAPVT XXIV.

De permutatione, quæ fit ex rure ad civitatem.

QVandò permutatur possessio aliqua rure, pro fundo instructo in civitate, vel recipit fundum in civitate, si recipit sufficiens precium ad computum marcarum prout terra valet, hoc indicabitur legitimè factum: Quòd si faciunt permutationem & emptionem simul, dentur tunc litteræ utrinq;, tàm in Contracta, quàm in Civitate, sicut fit in alijs, quandò permutatio & emptio simul fiunt.

CAPVT

CAPVT XXV.

De triennali possessore.

POstquàm quis pacificè posedit terram aliquam per triennium,& non fuerat super ea impetitus, sivè ipsa terra sit empta, sivè permutata, & hoc per XII. ex Placito nominatos ostenditur, nemo tunc admittatur ad molestandum possesorem, qui tàm diu pacificè possedit; Nisi ipse impetitor fuit extra regnum, vel in captivitate detentus, aut virgo sit, vel minorennis: Hi enim habent potestatem retractandi hujusmodi negocium infra triennium, postquàm eorum quilibet redijt ad suam potestatē: Qui verò emptionem, vel permutationem talem in Placito legitimè non retractaverit infra triennium, ut priùs est dictum, retineat tunc ille terram qui accepit: At ille qui vendidit, vel permutavit ea quæ non posidebat, restituat ipsi qui amisit terram æqualem,& solvat XL marcas dividendas in partes tres,si jure convictus fuerit, malitiâ vel vi ipsum ea bona retinuisse, ut demonstratur titulo de jure Regali: Verùm si ea bona non vi,sed alio modo ad ipsū pervenisse invenitur,&non potest possesionis suæ jus probare, vulgò Hemola, resarciat legitimo illorum

rum possessori omne damnum, & det terram æqualem, puniaturque in III. marcis pro ohemolat vulgariter,&illud sciant Assessores territoriales: Quotiescunq; verò lis est inter aliquos talis,tunc debetur illi agrarium qui vincit,si terra fuerit seminata.

CAPVT XXVI.

Quandò terra acquiritur ante terminum solutionis agrarij?

CVm acquiritur terra titulo emptionis, vel permutationis, aut impignorationis ante terminum solutionis agrarij, debetur tunc agrarium possessori: Si alicui terra est ablata per violentiam, tunc agrarium &alia accessoria adjudicabuntur ei,cui est ablata,ad tot quidem annos,ad quot per violentiam retinuerat,& pro violentia solvat Actori, sicut dicitur titulo de jure Regali.

CAPVT XXVII.

De tempore donationis prædiorum ad culturam.

PRo VI, annis detur prædium ad culturam, & septimo anno rescindatur contractus,vel innove-

tur, si Proprietarius & colonus in hoc de agrario sunt cõcordes: Termini autem solutionis sunt intra festum beati Thomæ Apostoli ante festum Nativitatis Christi; Si colonus priùs solverit omnem pænam non soluti agrarij evadat: Quòd si in dicto termino non solverit, neq; priùs, solvat tanto ampliùs quantùm est quarta pars totiùs agrarij pro pæna; Et Proprietarius conveniat cõlonum primo die judiciali post festum Nativitatis Christi in Placito suæ Contractæ, & cogatur ibi colonus ad reddendum agrarium cum pæna prædicta: Nec Proprietarius potest amovere colonum, si non tempus per quod data est possessio ad culturam effluxerit, nisi illi restituat agrarium quod esset levaturos ab illo.

CAPVT XXVIII.

Quandò oportet colonum Prædium proprietario resignare?

CVm colonus vult prædium Proprietario resignare, hoc faciat per XIV. dies ante festum Erici regis & martyris, aret tunc proprietarius agrum, & sibi provideat de colono.

CAPVT

CAPVT XXIX.

Si non resignat colonus ante terminum, sed post?

SI post terminum supra dictũ colonus resignat, & ante terminum solutionis agrarij, oprtet ut tunc sit ager aratus per colonum, & precium ad arandum proprietario solvat, prout duo pro utriusq; parte fuerint arbitrati quando nihil est aratum: Quod si aliquid est aratum, tunc renunciet labori suo; Quod si tempus conventionis non est elapsum, perdit jus retinendi, & id quod in siligine est seminatum, nisi Proprietarius eum cogat recedere de illa possessione, de quo Præses Contractæ judicabit: Non potest colonus post terminum solutionis agrarij prædium resignare, nisi det Proprietario alium colonum, vel solvat agrarium pro illo anno, & supportet omnia onera ex parte talis prædij supportanda, quamvis non seminavit aliquid illo anno.

CAPVT XXX.

Si profugit colonus ex prædio ante terminum conventionis.

IAm si colonus profugit ante terminũ locationis, potestatem habeat Proprietarius illum reducendi,

cum omni pecore & tota ſupellectili. Si autem colonus, ſe defendere volens, vel alij ipſum defendere volentes vulnerentur, præter tamen internecionem, impunè ferant; Sed ſi aliquis illorum occidatur, mulctâ XX. marcarum câdes plectenda.

Verùm ſi Proprietarius qui colonũ reducere conatur, ſimili aliquo detrimento cum ſuis ſtipatoribꝰ afficiatur, duplo majori mulctandum pænâ; Inſuper omnes qui auxilium migrationi tulerunt coloni, & illorum quilibet III marcis mulctabitur, in III partes dividendis: Deniq; colonus quælibet indè capra damna reſarciet Proprietario, prẽter mulctam VI. marcarum Proprietario ſolùm numerandarum.

CAPVT XXXI.

De temporibus pro mutandis domiciliis determinatis.

TEmpus mutationis domiciliorum, eſt feriâ quartâ proximâ poſt Dominicam quæ occurrit in medio Quadrageſimæ, & tũc evacuatæ domus promedietate relinquẽtur illi, qui circa feſtum Purificationis prædium eſt ingreſſurus: Nec ſit licitum colono armenta, vel pabulum de prædio propellerè, vel exportare antẽ terminum mutationis domiciliorum:

rum: Si deindè vult colonus pabulum vendere, illud primùm Proprietario offerat ad emendum: Nec poteſt colonus deportare ligna pro ædificijs convecta, aut cortices, culmen ſiligineum, vel ſepes, à loco de quo & ad quem ſe transfert, ſub pæna III marcarum; Quandò autẽ quis conducit ab aliquo prædium ſeu terram, poteſt tunc conductor liberè diſponere de omnibus quæ conduxit, & alijs locare, vel precario dare, pabulum tamen eſt in loco conducto conſumẽdum: Et quidem conductor reſtituet equè bonas domos & ſepes prout accepit, & melioret anno quolibet ad valorem III. marcarum, ſartaq; tecta teneat: Si quid in his deſideretur, compenſetur ex pecoribus aliisq; rebus coloni antequàm ex prædio migret.

CAPUT XXXII.

De probatione ſolutionis.

QVi vult probare agrarium eſſe ſolutum, hoc faciat teſtimonio V. virorum, & ſit ipſe ſextus: Quod ſi moritur qui dedit prædium ad culturam, vel ille cui datum fuit, ſit tunc ſucceſsio in tali poſſeſsione, ſicut in bonis jure hæreditario acquiſitis, vel acquirendis, donec terminus ad culturam datus exſpiret.

CAPVT XXXIII.

Quandò licitum est alterutri conjugum, alterius terram vendere?

NOn potest maritus vendere terram mulieris, nisi in his casibus: Si exercitus applicuerit, aut regnum invaserit fidelium aut infidelium populorum, & captiuat virum vel uxorem, ac deportaverit, nunciaturque quòd uxor vel vir redimi possint, tùm licet non est terrra alia quàm uxoris, potest nihilominùs maritus terram uxoris suæ vendere, & redimere uxorem: Ità etiam potest mulier sui mariti terram vendere in casu prędicto, & redimere ipsum si sit captus. Cùm autem propter inædiam cogunter vendere ad se alendum, potest tunc maritus vendere duas partes terræ suæ, & tertiam uxoris: Si maritus neque habet bona mobilia, neque immobilia, potest tunc vendere bona immobilia mulieris ad valorem VI. marcarum, & non ampliùs: Hæ autem venditiones faciundæ sunt in Placitis, & ibi probandum quæ necessitas ad id compellat.

CAPVT

CAPVT XXXIV.

De illa lite quandò unus jure hæreditario utitur, alius aliâ acquisitione.

QVandò lis est inter duos, unus prætendit successionem, alius aliam acquisitionem, & à quo acquisivit, producat ipse illum à quo acquisivit, si potest ille dominium transferre, retineat tunc sic acquirens; Quòd si non potest, defendat tunc, & probet ille juramento XII. propinquorum ex linea paterna, qui successionem allegat: Quod si illi undè terra quæsita est sint plures, & unus ab alio acquisivit, examinetur hoc per ordinem, & quilibet fateatur precium quod dedit, & illle solvat pro pæna III. marcas, quem constabit non potentem transferre dominium, vendidisse. Si ille à quo terra quæsita est, sit in regno & in territorio, debet comparere infra IX. septimanas; Quòd si est extra regnum in servitio domini sui, vel peregrinatur, aut navigavit cum mercimonijs suis, suspendenda est tunc lis illa, & proventus illius terræ ad aliorum manus deponendus, donec ille qui absens est revertatur; At infra II septimanas post quā redierit, oportebit eum de dominio respõdere:

Si de-

Si deficit qui dominium transferre potuit, tunc puniatur pro violentia qui terrâ usus est, & exigat precium ab illo qui in eum visus est dominium transtulisse. Quod si ille à quo terra quæsita, est in Regno, & non potest comparere propter impedimenta prius expressa, suspendatur tunc lis donec venire possit, & in tribus Placitis postea debet de dominio respondere, habeatque super suo impedimento testes duos, & probet quòd venire non potuit propter hujusmodi impedimenta.

CAPVT XXXV.

De parentibus alendis.

QVandò vir vel mulier senescunt, vel infirmantur, debent filij eis alimenta præstare ad dies vitæ, sivè plus habeant in bonis, sivè minus; Quod si habet pater terram, minus tamen quàm sibi sufficit ad vitam, & illam vult permittere alimenta sibi præstanti ad vitam, & habet filios, unum, duos vel plures, offerat tunc filijs in Placito; Et si filij volunt eum alendum acceptare, computabuntur tunc III. marcæ pro expensis quolibet anno, si bona mobilia sunt; Quod si non sunt, accipiat terram ad valorem

III. marcarum pro expensis per annum, & posteà quilibet filiorum successivè juxta eorum ætatem: Quælibet ex natabus vel filijs tenetur patrem vel matrem alere, donec tantùm consumptum, quantùm ipsos contingere posset in divisione si mortui forent; Frater quidem portionem fraternam, & soror portionem sororiam.

Quòd si quis ex filijs non acceptat, & hoc in Placitis potest probari, potest tũc filius qui acceptat & alimenta præstat ad vitam, recipere ex indiviso post parentes expensas in eos anteà factas, licet non sit ibi plus in bonis; Quod si est plus, tollat unusquisque deindè quod sibi debetur: Idem jus sit in consanguineis quandò non sunt filij, ut nunc dictum est, illeque præferendus est in alimentis præstandis, qui proximior in succedendo esset, si alendus mortuus foret: Quod si quis dicat, ego ità obtuli alimenta sicut tu, tunc referatur hoc ad XII. de Placito, & nominentur illi per utramque partem: Sint etiàm hæredes obligati ad præstandum alimenta patri & matri, si depauperentur vel senescant, sivè aliquid habeant parentes, sivè non, dummodò hæredes possunt. Quicũq; verò filius vel filia ejicit patrem vel matrem, solvat III. marcas omni anno,

& ille recipiat qui in tali cauſſa eſt Actor; At ſi mori-
tur priusquàm eſt conſumptum quod dare promi-
ſit, recipiat tunc expenſas factas, & reliquum in di-
viſionem vadat quod ſupereſt de bonis defuncti.
Nemo deniq; poteſt alteri offerre terram ſuam pr
alimentis, niſi ſuis hæredibus.

CAPVT XXXV.

Quandò lis eſt inter duas villas de aliquæ parte terræ.

QVandò lis eſt inter duas villas ſuper aliqua pa
te terræ, vel alia re immobili, & unus de com
poſſeſſorib. in villa renunciat liti & cauſſæ, ho
fiet per eum in Placito, priusquàm ad Placitum re
curratur; Quod ſi judicetur contra eum, erit tunc
ipſe immunis à pœna, qui renunciavit ante litis in-
greſſum: Si autem refert ſe ad Placitum, & poſtea
renunciat priusquàm deciſio fiat, ſolvet III.
marcas, & ſit excluſus ab alijs, ſivè ſuc-
cubuerint, ſivè evaſerunt ipſi
victores.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

De contractu ſocietatis.

QVandò aliquis cum aliquo vult contrahere ſo-
cietatẽ, ibi oportet quòd ſint præſentes VI. do-
miciliarij, III. quidẽ pro cujuslibet parte, quan-
dò ſocietatem cõtrahere volunt, Illis etiàm conſtare
debet quamdiu ſocietas debeat durare: Si augmen-
tantur bona, augmentantur pro ambobus ſocijs;
Si diminuuntur, pro ambobus ſint diminuta: Cùm
autem ſocietatis contractus exſpirat, & volunt
dividere ea quæ in commune contulerunt, aliusq;
vult ſibi plus vendicare quàm poſsit alteri cedere,
ſtandum tunc erit dictis illorum VI. qui affuerunt
tempore ſocietatis contractæ, & prout illi teſtifican-
tur, ſic bona cum lucro & ſorte dividantur. Quod ſi
poſteà alter alterius retinet bona, & non vult trade-
re ſecundum dicta præfatorum VI. juratorum, ſol-
vat III. marcas pro detentione: Si autẽ quis vult diſ-
ſolvere ſocietatẽ, prius quàm terminus ſit elapſus ad
quem debebat durare, ſolvat III. marcas de ſua pro-
pria pecunia, & deindè diſſolvat: Teneat quilibet po-
ſteà ſociorum, quod ſibi debetur ex ipſo ſocietatis
contractu, ſecundum dicta illorum qui quandò

contraxerunt præsentes fuerunt : Alius ex socijs non potest dare alteri terram ad culturam pro precio illam locando, vel ad precarium, sine Proprietarij consensu, quòd si fecerit, totum quod nascitur Proprietario cedit.

LIBER

LIBER SEXTVS
DE
JVRE SVECORVM
Gothorumq; Ædificandi.

CAPVT I.

Qualiter villæ sunt de novo restauranda, & viæ designandæ cum eorum terminis, tàm publicæ quàm privatæ.

QVandò villam volunt villani de novo instituere, debet tunc quilibet de compossessoribus arare & seminare, & postea ad divisionem venire : Quòd si quis terram excolit juxta divisionem antiquam postquàm nova est facta, solvat pro usurpatione quilibet secundum quod deliquit: Æquabitur autem una quarta pars fundi alterius quartę, & medietas medietati, & tunc fundus est æqualis factus : Locentur deindè quatuor termini ratione fundi, & quatuor prætextu viarum, & tunc ipse fundus est de vijs provisus, & via sit X. ulnarum:

narum: Publicæ autem viæ sunt duæ, una ad villam, & altera ab ea, salvo quòd plures esse possint si villani permittunt. Et ità tenetur ea villa quæ pro minori computatur, vias habere sicut quæ pro majori, nec possunt omnes unum arctare; Stratam quoq; facere possunt per villam rustici, si in hoc omnes voluerint consentire.

CAPVT II.

De viis publicis obstruendis, & viis ac pontibus reparandis.

QVi obstruit viam publicam, debet aliam parare æquè bonam, sed debet priùs ad Placitum accedere, ac licentiam suscipere obstruendi viam antiquam ab illo loco undè priùs erat, & ad possessionem suam propriam æquè bonam, & æquè directam ut priùs fuit: Qui hoc non servat, sed obstruit antiquas vias, & antiquos cancellos claudit, licentiâ non obtentâ, solvat III. marcas; At curam habeat de viis, pontibus & cancellis, qui est terrarum possessor, secundum amplitudinem & latitudinem possessionis suæ.

CAPVT

CAPVT III.

De fabricatione & reparatione pontium, viarumque præparatione, & panâ in contrarium facientium.

QVilibet tenetur pontem præparare & reparare, viamq; instaurare, tàm qui minùs possidet in villa, quàm qui magis, juxta tamen possessionis quantitatem: Si pons ecclesiæ per unum jacuerit fractus diem Dominicum, mulcta VI. orarū deponenda, & tantundē qualibet vice solvendū, si pro secundo & tertio non fuerit pons reparatus die Dominico, quæ est causla & mulcta Actoris propria; Ideoq; ille villanus mulctabitur qui non ædificavit, ille non qui ædificavit, secundum quod habet quilibet possessionem ponti viciniorem: Pons autem ad ecclesiam ducens debet esse V. ulnarum latus, qui emanserit irreparatus ultra III dies Dominicos, III. marcæ solvendæ, in tres portiones dividendæ; Eadem lex sit de ponte pecorario, & molendinario.

Via publica debet lata esse X ulnarum, & si pons provincialis, quem plura tenentur restaurare territoria, fuerit per III dies dominicos successivos irrestauratus, solvāt illa territoria XL marcas, Regi, Actori & territorio insonti numerandas: Quod si cuilibet sua portio

portio aſsignata in ponte, cujus portio corruerit nec reſtaurata fuerit, ille mulctabitur; Et quidē pro ruina & lapſu medij pontis, XX marcæ, & pro lapſu quartæ partis, X. marcæ ſolvendæ, in tres partes dividendæ, ut ſuprà: Sed ſi pons territorialis, ad cujus reparationem totum obligatur territorium, ir-reſtauratus manſerit per III. dies Dominicos continuos, ſolvat territorium XX. marcas; Sed ſi media corruit ſolùm pars, X; at ſi quarta eſt lapſa pontis portio, V marcæ deponentur. Si villa una ſimul non accurrerit ad hujusmodi pōtis reparationem cum territorio, domi interim reſidens, III. marcis mulctabitur, tripliciter dividendis; Si villanus non accurrerit, ſolvet VI. oras, quas capient ruſtici pontem reſtaurantes.

Jàm verò ſi pons igne, aut aquarum inundatione tollatur, ideoq; tranſitus illic impeditus, tùm illi ratem vel cymbam tenētur illic procurare, ad transvehendos viatores, ad quos ſpectat pontis cùra, donec pons fuerit reædificatus: Sin ſecùs fecerint, pro qualibet ſeptimana ſoluant III. marcas, & compenſent dāna ſi quæ propterea oboriūtur. Quod ſi opportunitas pontis reparationem permittit, neq; tamen ea fit, maxima eſt imponenda mulcta, juxta ſententiam XII. virorum in hac cauſſa neutralium. Si in pon-

te ob illius ruinam patiatur aliquis damnum, vndè mors provenit, ſolvat X marcas ad quem pontis ſpectabat cura, quas capient hæredes defuncti. Quod ſi autem jumentum victui humano non conveniens, in ponte reportaverit cruriſragium, undè etiam moriatur, ſolvatur quarta portio precij quo jumentum æſtimatur: Sed ſi utile eſt jumentum hujusmodi humano victui, dimidium præfatæ mulctæ ſolùm ſoluatur. Quod ſi verò jumentum cibo humano non aptum, non mortem ſed aliàs irreparabile accipiat in ponte ruinoſo damnum, eadem luenda pæna: Sed ſi detrimentum in ponte accipit jumentum reparabile, damnum octavâ parte precij compenſetur.

Eadem prorſùs ſit Lex de vijs publicis ad Placirum ducentibus, Eccleſiam, ac molendinum, ſi illæ non ſatis præparatæ, & pontibus inſtructæ ubi lacunæ aquoſæ, vel loca ſunt paluſtria, illeque ſit hujus cauſſæ Actor, qui primùm movit ſuper his querelam; Et ſi reus ſpontè noluerit mulctam deponere, ad Placitum citandus, & propter utramq; culpam, pontis ſcilicet ruinam & inobædientiam deponat III. marcas, Regi, Actori & pontium inſpectoribus numerandas. Pontium denique luſtrationes bis in anno inſtituendæ, videlicet circa

festum D. Valburgis, & D. Michaelis, & non sæpiùs, nisi Actor in ponte damnum passus denuò pontis postula verit inspectionem; Et tunc Præses Contractæ nominabit XII. inspectores ex illo territorio, qui si culpabilem pontem deprænderint, solvat mulctam prout suprà dictum, qui pontem reparare tenebatur, & damnum similiter prout dictum, sivè illud homo, sivè jumentum patiebatur: Tandem si pons fabricandus vbi aliàs non fuit, & illum non fabricaverint ij ad quos pertinet infra mensem, solvant III. marcas, Regi, Actori & Territorio numerandas.

CAPVT IV.

De divisione fundi, & quòd plus habeat qui plus possidet.

DIvisio fundi incipiat à mensura villæ, & sit inchoatio à denario terræ, à solido terræ, ora ac marca terræ, secundum octenarium & medium octenarium, & ibi recipiet quis partem suam sicut ad eum attinet, plus vel minùs: Nemo alterius partem usurpet, nisi se astringat ad pænam pro usurpatione de jure infligendam: Nemo etiàm potest agere ad æquandam portionem unicuique com-

compossessori debitam, nisi sit possessor quartæ partis: Et ille amplius habeat in possessione qui est ditior in portione. Nec cuique sit licitum illam villam de novo dividere, quæ in quartas est divisa, nisi consentiant villani omnes; Omnes deniq; compossessores pacifici sint in portionibus suis, donec alter alteri jure moverit litem.

CAPVT V.

Qualiter ædificia sunt in fundo locanda, & de augmento pro obtinente finales portiones.

CVm ædificia in fundo locantur, non magis prope alter alterum locet, quàm locum habeat ad fodiendum pro truncis, hoc est, unam ulnam cum dimidia de cujuslibet parte; Qui aliter egerit extrahat quod immissum est, & solvat III marcas pro pæna in tres partes dividendas: Si verò habeat testes super admissione de ædificando, hoc est pro eo; Si non habeat pœnam solvat, & extrahat quod immisit: Si quis monticulus est in fundo, & potest frangi vel comburi, vel in clausura comprædendi, vel domibus includi, tunc computabitur ejus medietas, & reliqua non in portione habentis; Quòd si nequit hoc fieri, non debet pro

aliquo computari: Si verò gibbositas est in fundo, & potest aperiri atque ædificari, pro medietate computabitur, & pro alia medietate computari non debet.

Nunc restat dare augmentum postquàm illa legitimum situm habet, & quadratam divisionem: Illi autem divident augmentum qui habent in fundo impedimentum, illudque augmentum est applicandum portioni illius, qui impedimentum habet in fundo suo, & applicabitur lateri illius. Si quis deindè replet fundum suum domibus, ità quòd via occupetur, nominentur tunc scrutatores in Placito ad inspiciendum, & utraque pars habet jus consentiendi in nominatos si vult, vel excipiendi pro medietate, & quem tùm nominati condemnandum dicunt, sit ille condemnatus, & quem absolvunt sit absolutus: At qui condemnatur tollat ædificium, & solvat VI. marcas pro pæna: Fundus autem debet à via distare, & nullum impedimentum viæ præstare. Si via currit per medium villæ, & quis possideat ex utraque parte, & non potest ædificare nisi fundi copulentur, potest tunc obstruere viam illam, & aliam assignare loco illius, ità quod æquale detur pro æquali, & ædificet postea prout vult.

Quòd

Quòd si quis affectat ædificare potiùs in campo pro pascuis porcorum assignato, quàm in fundo, efficiat tunc cum compossessoribus ut campus ille dividatur, & factâ divisione ædificet in parte eum contingente, & non plus: Postquàm villa est, ut præmittitur, per divisionem adæquata & quadrata, habet tunc terminum, & possidens non habet licentiam fabricare domos in alieno fundo, vel illas transferet ad fundum suum infra tres annos; Quod si ampliùs steterint, & possidens non habet licentiam ab illo cujus est fundus, neque fundum conduxit, possunt domus eijci absque incursu cujusvis pænæ.

CAPVT VI.

Factâ divisione fundorum, sequitur divisio agrorum.

CVm villa est adæquata & quadrata, tunc fundus est mater agrorum, ideò oportet agrum disponere & dividere ad dispositionem fundi, & illis qui portionibus agrorum finales erunt additamentum dare, pedem pro intersticio parvo, duos pedes pro intersticio majori, quod servit pro via ad ecclesiam & civitatem: Dispositio verò & divisio

visio agrorum arguit dispositionem pratorum, portio in pratis arguit portionem in sylvis, portio in sylvis terminos ostendit, termini ad aquas protenduntur, aquarum divisio mensuratur ex terminis per perticam, ubi non possunt termini apparentes poni.

CAPVT VII.

De agrorum divisione & fossis, fossarumque additamentis.

COnsequenter oportet frangere agros secundum fundorum divisionem, ac apponere signa divisionum, & fractionem demonstrantia: Et si tunc acciderit per viam publicam sepes protendi & ager extenditur simul lateraliter cum via, debet tunc via esse X. ulnarum in latitudine, & III. pedum ab utroque latere; Si amplius est extra terminos villarum, frangatur secundum fractionem fundi.

Si ager protenditur simul cum sepe vel fossa, relinquendi sunt duo pedes pro loco sepis: At si fossa est inter agrum & sepem, agerq; protenditur simul cum fossa, tunc fossa non erit pro aliquo computanda: Fossa debet esse duarum ulnarum in latitudine, & una ulna est fossæ pro augmento addenda; Quandò autem duo compossessores voluut fossam in agro suo

suo constituere, fiat fossa una, & mediam partē pro fossa quilibet pro agro suo cōtribuat, & ibi nihil pro additamento erit: Cùm deindè agri aliqui protenduntur lateraliter cum fossa, & aliqui veniunt ex transverso & terminantur in fossa, ibi sic concurrentes pro qualibet sua medietate fossam tenebunt; Ubi verò ager unus vel plures in margine fossarū terminantur, ibi fodere tenetur cujus est ager; Sed si unus compossessorum agrum relinquit incultum, primò unum, deindè alterum, & posteà tertium, pro quolibet solvat III. oras: Aſt si per totum relinquit incultū solvat III. marcas: Pænam quæ solvitur per oras dividant compossessores, sed pæna marcarum dividatur in tres partes; Si quis deniq; facit fossas per agrum vel pratum, & ibi occurrunt agri & prata aut campi vel pascua aliarum villarum, & non parat viam aquis, solvat tunc pænam qui damnum infert secundum æstimationem IV. virorum, sivè fluit per agros sivè per prata, & solvat III. marcas.

CAPVT VIII.

De sepibus & rupturis sepium, ac scrutatoribus VI. vel XII. nominandis.

CVm tempus instat seminandi, tunc debent omnes vicini clausisse prorsus grangias sepibus

pro

pro excludendis porcis; Quod si qui reculent r
pes reficere, & porcos excludere, ut est dictum, co
vocentur tunc vicini pro scrutinio faciendo, si tur
apparuerit defectus in clausura parvus, solvat il
cujus sunt sepes III. oras, & illam pœnam recipia
qui ibi grangias claudere debent: Cùm autem e
ager complanatus in eorum grangia, tunc sepes d
bent esse sufficientes & benè fortes; Si autem sep
in toto ceciderant, conveniant vicini, qui debe
III. viros eligere, per quos si condēnatus fuerit cuj
sunt sepes, solvat III. marcas, & illa pæna cedat v
cinis: Quod si volunt nominare scrutatores exp
rochia, tunc VI. nominentur, qui si condemnav
rint illum ad quem sepes spectant, solvat VI. or
composseſſoribus; Quod si ista pæna non fuerit
luta, accedant ad Placitum & extorqueant illas V
oras, & III marcas, in tres partes dividendas: Quo
si scrutatores nominandi fuerint in Placito, qui d
bent esse XII. illos nominabit Præses Contractæ
consensu utriusq; partis; Illi XII scrutabuntur
dicent: Nos vidimus vestigia tàm dividentiu
ungulas, quàm non dividentium, directa ad sep
per quas damnum illatum fuit; Et standum e
dictis illorum, ità ut quem condemnaverint sit co
demnatus in III. marcis, Regi, Actori, & Contra
&c

ctæ dandas: Quāprimum vero scrutatores viderint, tunc simul deliberent & veniant ad illos qui contendunt, dicentq; statim quem condemnare volunt, & ampliùs non protrahant, jurentq; in primo Placito: Idem fiat in alijs scrutinijs, in quibuscunq; alijs negocijs habendis.

CAPVT IX.

Quandò armenta damna inferunt per sepes ruptas.

QVandò grex intrat per sepes minùs sufficientes, & damnū infert gramini aut segeti, debet tunc ille cujus sepes erant reddere segetem pro segete, & gramen pro gramine, secundum æstimationem IV. virorum ad hoc deputatorū: In pœnis verò illis quæ solvuntur pro taliter cōsumptis, nihil Regi aut alteri applicatur, quandò executores non deputantur. Quòd si damnum passus recuperare nō potest, recurrat ad Placitum cum æstimatoribus priùs habitis; Et si vult reus damnum reficere die per Præsidem præfigēdo in primo Placito, non mulctabitur; Quod si non, conqueratur tunc in alio Placito & executio tunc fiat juxta æstimationem damni prius factam in bonis ipsius rei, & insuper con-

demnetur ad ſolvendum III. marcas in tres partes dividendas: Quandò grex intrat agrum vel meſſem, & non poteſt damnum æſtimari, fiat tunc refuſio prout Lege cavetur, videlicet IV. denarij pro bove uno, & ſic pro II & III, & ſimiliter pro ove aut capra; Et ſic pro II & III, nec poteſt hæc pæna eſſe major, quamvis capita fuerint plura, niſi damnum poſſit æſtimari, & tunc ſit pœna quæ fuit ſuperiùs expreſſa: Sit eadem Lex de equis & equabus ac ſuibus ſi damnum nequit æſtimari: Si quis ſepes rumpat, & in hoc fuerit deprehenſus, ſolvat III. marcas; Quod ſi non deprehenditur, purget ſe manu ſextâ & ipſorum ſex juramento: Cùm quis comburit ſepes ex caſu, ſolvat III. oras, & ſepes reſtituat æquè bonas: Quod ſi poteſt juramento oſtendere quòd combuſtio ex caſu facta fuit, ſolvat ſicut pro caſualibus ſolvi ſolet; Quod ſi non poteſt, ſolvat III. marcas: Sed ſi ex propoſito comburit, Solvat III marcas vel ſe purget juramento VI. virorum.

Cùm quis præſcindit alterius ſepes, & affert in domum ſuam, tollat tunc qui illum deprehendit ipſius ſecurim, vel rem aliam pro interſigno, & ſtabitur illius dicto qui talia cæpit, & præſcindens in III. marcis puniatur: Cùm autem litigant qui accepit

pit quicquam pro interſigno, & ille cui eſt acceptum dicit id ſibi furatum eſſe vel ſpoliatum, ſtandum eſt dicto illius qui interſignũ cæpit; Cùm verò quis perticam tollit ab alterius ſepe, & in hoc deprehenditur, ſolvat oram pro I. pertica, II. & III. nec ibi erit amplior pœna; Quod ſi non ſit palàm deprehenſus, purget ſe proprio juramento: Jndie Aſcenſionis Domini debent omnes ſepes ſufficientes eſſe, quòd ſi tunc in his aliquis eſt defectus, puniatur ille cujus eſt defectus, prout ſuperiùs eſt expreſſum: Cùm denique quis equum ſuum in alterius prato paſcendum immittit, cum compedibus vel extenſo funè ligatum, ſolvat III. oras.

CAPVT X.

Quandò armenta ex agro vel prato, pro cuſtodia in domos abiguntur.

Cùm armenta abiguntur ab agro vel prato, & in domos pro cuſtodia impelluntur, licitum eſt uſum habere equi vel equę ad equitãdum, non tamen deſtruere, vel tantùm ut crepent onerare; Bovem autem ſivè fæmina ſivè maſculus fuerit,

poteſt quis includere, & non malè tractare aut occidere : De ſylvis etiàm fertilibus poteſt quis armenta abigere, & in cuſtodia detinere, non tamen occidere vel malè tractare. Cùm autem in cuſtodiam pellens percutit pecus quantùm vult, & contingit iumentum indè mori, ſolvat vivum pro mortuo, æquè bonum prout illud erat juxta æſtimationem duorum: Sed cùm grex vel jumenta ſunt in cuſtodiam recepta, & ille cujus ſunt repetit illa, offerens ſe paratum ſtare juri, ſibi tamen reſtitutio denegatur, aſſumat ſecum II domiciliarios qui jumenta petit, & relinquat ſufficiens pignus pro jumentis ſuis : Quòd ſi hoc alter recuſat, deponat illud ad manus tertij, illis duobus domiciliarijs præſentibus; At ſi nec ſic vult jumenta tradere, ſed adhuc tenet per noctem, idque probatum fuerit, ſolvat detentor III. marcas.

Quod ſi ex illis jumentis aliquod moriatur, ſolvat vivum pro mortuo æquè bonum, juxta dicta æſtimatoris, & inſuper III. marcas. Quandò autem grex vel jumenta ſunt in cuſtodiam recepta, & ille cujus ſunt non comparet, tenetur tunc Recipiens hoc notificare vicinis in ſua & propinquis villis; Quòd ſi & tunc noluerit cõparere, ſit tunc retentori cura de grege vel jumento: Si autem contendunt, altero

tero dicente eum clàm armenta ſeu gregem recepiſſe, & altero negante, probet tunc recipiens per II teſtes quòd accepit illa in agro, vel prato aut ſylva fertili, & fuit vicinis legitimè intimatum ; Quòd ſi non eſt talis intimatio facta, reficiat damnum ſi quod grex vel jumentum incurrit, & ſolvat III. marcas, quòd non fuerit legitimè in cuſtodiam miſſum: Quòd ſi alter dicit fuiſſe jumentum ſuum interceptum ex paſcuis, & alius dicit ex agris vel pratis, aut fertilibus ſylvis, probet hoc cum duobus qui aderãt, & viderant quandò in cuſtodiam recepit; Quod ſi facere nequit, reſtituat jumenta ſecũdum æſtimationem dictam. Quod ſi jumentum pendeat ſupra ſepes, & inveniatur ille qui voluit abigere, ſolvat pænam ut Jure cavetur; Quòd ſi non inveniatur, permaneat jumentum in loco ſuo. Quòd ſi quid alicui impingitur & ipſe negat, VI. Virorum juramento ſe purget: Quòd ſi quis depræhendat totum gregem cum cuſtode in pratis vel agris ſub duobus teſtibus, ſolvat III. marcas ille cujus grex eſt: Qui verò per violentiam rapit vel furatur jumenta ad cuſtodiam impulſum, priusquàm eſt ut debet redemptum, & hoc poteſt teſtimonio duorum probari, ſolvat tunc III. marcas, aut purget ſe juramento VI. Virorum, quòd horum neutrum fecerit.

CAPVT XI.

De divisione sylvarum, & quandò plures porci impelluntur quàm debent.

QVandò compossessores sylvæ glandinariæ volunt sues in illam mittere, vel ad pascendum impellere, debenr tunc secundum mensuram terrarum, nempè solidorum, orarum, marcarum, octenarum, vel mediarum octenarum, aut secundum quod quilibet in sylvis obtinet portionem facere; Si quis autem compossessorum sues non habet ad impellẽdum, & alij impellunt prout jure possunt, tunc portio illa glandium cujus sues non sunt, potest ab aliorum compossessorum suibus licitè consumi; Quod si quis plus impellit quàm ad eum attinet, ratione portionis ipsi in sylva contingentis, solvat III marcas resarciendo damnum etiam juxta æstimationẽ vicinorum: Quòd si impellit sues qui non possidet in sylva quicquam, nec habet à quoquam in sylva dominium habente permissionem, ipse sues pro pœna amissurus.

CAPVT

CAPVT XII.

Si sues de sylva glandinaria in sylvam vagantur glandinariam?

SI de sylva glandinaria in sylvam vagentur sues, moneant sylvarum domini pecudũ possessores semel & iterùm, ut sues recipiant, idq; sine aliqua mulcta, nisi sylvæ fuerint sepib: obmunitæ; Si verò tertiâ redierint sues vice, recipiãt illas ad custodiam domini sylvæ in præsentia II. testium, & moneant super hoc possessores illarum; Deindè III domiciliarios ex vicinis utraque pars deliget, qui damnum domino sylvæ illatum, & emolumentum possessori præpinguium suum indè reportandum æstimantes, præscribent legitimum pro hac impinguatione domino sylvæ precium, quo se contentum reddet, sivè deindè sint juxta pactum remansuræ, sivè non: Si fuerint verò sues occisæ, percussæ, aut alia ratione in custodiam missæ vel tractatæ, mulcta & compensatio fiat secundum Juris consuetudinem; Sed si sylvæ ità concurrerint, ut grex suum ultrò citroq; cursi tet hujus & illius possessoris, nemo tunc super hac re alterum molestet, nisi aliquis suam habuerit sylvam sepibus secluſam, ità tamen ut alter alteri æquus sit, prout in sylva portionem habet, & VI. viri inter ipsos fecerint æstimationem,

CAPVT

CAPUT XIII.

Qualiter vehenda meſsis per agrum, & pratum alterius.

QVandò meſsis in agro collecta, eſt in domum afferenda per agros alienos, vel aliorum prata; debet tunc transferre volens metere meſsẽ in agro alieno, & in manipulos colligare & ſpicas colligere, ac poſteà ſine metu pœnæ meſſem ſuam illac transferre: Et in pratis alienis fiat eodem modo, primo falcãdo & poſteà in unum colligendo & deindè fænũ vehatur ſine metu pœnæ; Quòd ſi quis ſic non fecerit, ſed vehit per agrum, & non merit quantùm eſt portio unius, ſolvat III. marcas pro prima vice, & ſic pro ſecunda, deindè pro tertia, nec augebitur illa pœna: Eadem lex ſit de pratis nempè quãdò quis vehit per tres portiones adinvicem diſtinctas, ſolvat IX. marcas in tres partes partiendas: Concelli vel portæ ſepium ſpectant ad omnes compoſſeſſores, ideò ſi damnum contingat per illos inferri, & hoc alicui compoſſeſſorum imputetur, ipſeq; negat, purget ſe VI. Virorum juramento; Quòd ſi hoc poteſt, non plectatur, & omnes compoſſeſſores teneantur ad damnum reſarciendum: Quòd ſi ille

ille ſe purgare non poteſt, reficiat ipſe damnum ſolus.

CAPVT XIV.

De ceſpite non ſcindendo ex alieno ſolo.

NEmo poteſt ceſpitem excidere in alterius area, qui hoc fecerit ſolvat III. marcas pro eo quòd excidit in una area vel agro, ſic pro ſecundo & tertio, nec augebitur illa pœna niſi Actores plurificentur: Quòd ſi ſint plures, pro quibus quis in hoc reum ſe fecerat, ſolvat tunc unicuiq; ut eſt dictum: Nemo etiàm excidat ceſpitem ab alterius areà poſtquàm ratione villæ diviſio agrorum & arearum facta eſt; Quod ſi area eſt extra terminos diviſionum, excidat tunc ceſpitem quilibet, prout vult, impunè: Quod ſi quis terram poſsideat in duabus villis, non poteſt ceſpitem excidere ab area alterius villæ, & ad aliam transferre, niſi diviſio arearum ſit facta; Quod ſi diviſio inter villanos eſt facta, excidat de portionibus ſuis, & non ex portionibus vicinorum: Margines foſſarum, & ipſas foſſas quilibet retineat juxta ratam diviſionem villarum, Quandò quis habet agrum incultum in villa, & ſemen cadit in talem agrum dùm ſeminat illic vicinus, ille ſeminator

tori non metet plusquàm ipse possidet in agro, & nullam custodiam adhibeat quoad id quod in agrum cecidit alienum; Quod si metat & importat, secundum pœnam à Lege impositam punietur.

Omnes compossessores tenentur ad custodiam pratorum usq; ad festum Michaelis; Ad custodiãverò agrorum donec messis fuerit importata: Quod si quis adeò piger est, quòd non colligit messem suam sine caussa subsistente, si talis in messe sua damnificetur, imputet sibi; Sed si dicit caussam subesse, non tamen subest, hoc discutiatur per VI. de parochia viros, & uterq; collitigantium facultatem habeat pro sua medietate tales nominandi; Quod si dixerint quòd caussa subest, reficiat damnum qui damnum intulit secundum quod damnum æstimatum fuerit, ut superiùs est expressum; Quicunq; autem observãt rite agrorum custodias, à pœna sunt immunes; Qui vero id facere neglexerint, puniantur in III marcis: Quandò aliqui ex compossessoribus inter se conveniunt, ut fœnum vel segetem aggregent in prato vel agro, ibidem relinquendo & etiàm sepiendo, si ipsis sic placeat, pro hoc in nullo præjudicare debent alijs compossessoribus sua volentibus importare.

Pecia

Pecia terræ quæ vulgariter **worſiálder** appellatur, ipsa debet ex omni sua parte continere XXX. ulnas, & talis pecia debet esse signata lapidibus, quæ neque sepem neq; custodiam requirit; Et inferat possessor ex tali agello seu pecia, quandò compossessores inferunt sua, nec sit ille astrictus diutiùs observare custodiam, nisi quam diu per alios omnis seges fuerit importata; Quod si quis super tali agello vel pecia impetitur, juramento VI. virorum se defendat; Et si sepem habeat, custodiamque requirat, quantumcunq; esse possit, illud retineat hereditario jure; Quod si talis agellus impetitur, XII manus dominium probet.

CAPVT XV.

De mercenariis.

QVandò quis conducit pro mercede statuta virum vel mulierem ad serviendum, & ille vel illa arrham recipit, vel ad conducentis mensam accedit, & posteà recedit ante terminum in contractu expressum, tunc restituat arrham, & cum hac mercedem tantam, quanta illi erat promissa: Quod si conducens ejicit conductum à se sine causa, & ille vel illa se offert ad serviendum duobus præsentibus

testibus, solvat tunc mercedem conducens quam promisit, & tales mercenarij vadant quò velint: Quod si mercenarij infirmantur, & propterea laboritia in domo negliguntur, detrahetur tùm de mercede quantùm conductus in laboritijs deficit: Termini verò pro conducendis mercenarijs duo sunt in anno, unus à festo Pentecostes ad festum D. Martini, & alius à festo D. Martini usq; ad festum Pentecostes: Septem autē diebus possunt mercenarij vacare à labore in quolibet termino, posteà tenentur suas operas locare: Omnes illi obligantur ad locandum se pro mercede, quorum bona non excedunt valorem IV. marcarum, qui tales posteà penes se retinet, postquàm ipsis oblata est marces, solvat III. marcas; Quod si quis habeat in bonis III. marcas vel plus, & non vult pro mercede servire, solvat tunc pro tributo medietatem illius, quod tributarius solvere solet.

CAPUT XVI.

De usurpationibus in pratis vel agris alienis.

SI quispiam metat segetem vel defalcet fœnum in agro alieno vel prato, restituat segetem pro segete, fœnum pro fœno, nec erit deferendum juramentum

mentum; Quod si quis usurpat in agro secundo, restituat usurpatum sine pœna; Quod si idem faciat in tertio fiat eodem modo; Quod si in quarto, ibi restituat usurpatum, & III. marcas solvat pro pœna, sic in quinto, & sic in sexto, nec amplior pœna erit, si usurpatio fiat ulterior, hocque scrutentur qui ad inspiciendum usurpationem nominati fuerunt: De pratis verò sit idem judicium sicut de agris, quandò per aratrum & sulcos, vel deambulationes de termino ad terminum, agrorum peciæ dividuntur; At si in medio sit incurvatio, restituatur tunc id quod per talem incurvationem ablatum est, juxta æstimatoris æstimationem, nec aliter puniatur qui incurvationem fecit; Quandò itaq; sic hujusmodi incurvatio utrinque fit, nulla indè pœna sequatur.

CAPVT XVII.

De usurpationibus inter villagia.

QVòd si quis ex compossessoribus alterius villæ, vel dùm plures vicini sunt in eadem villa, usurpationes faciat in agro vel prato includendo vel sepiendo, aut illic rapas vel alia seminando, solvat III. marcas pro primo anno; Quod si objiciatur eum id fecisse pluribus annis, in III. marcis puniatur,

tur, vel purget se juramento VI virorum; Quod si facere potest, nullam tenetur solvere pænam: Sed ubi manifestè deprehensus est, ibi puniatur ut jam dictum est.

CAPVT XVIII.

De usurpationibus sylvarum, & his quæ in sylvis ex arboribus capiuntur.

SI quis in sylva aliena, ligna ad comburendum exciderit, nempè plaustrum unum, solvat III oras, sic pro secundo & tertio, at pro quarto III. marcas solvat si deprehensus fuerit palàm: Quod si non fuerit sic deprehensus, purget se juramento VI. virorum; Quòd si ligna ædificationi necessaria illic exciderit, solvat ut priùs dictum est de lignis comburendis: Quod si ex arboribus suber aut cortices carpat, pro fasce ab uno viro portabili solvat III oras, sic pro II. & III. pro IV. autem solvat III. marcas, & damnum reficiat: At si cum jumento sylvam intraverit, & hujusmodi fascem deportaverit, vel cum cymba aquas intraverit, & arundinem exciderit, solvat III. marcas, & reficiet damnum: Quod si ex arboribus ramusculos & folia collegerit, & in acervum vel struem comportaverit, aut suber seu liberos

beros carpserit & accumulaverit, sicq; reliquerit, solvat VI oras, & labores perdat; Quod si deportaverit, solvat III. marcas: Quod si quis exciderit, & plaustrum vel cymbam oneraverit, solvat VI oras, sic pro II. & III. quod si IV, solvat III marcas: Cui autem tale imputatur, idq; non potest probari, purget se ille juramento VI. virorum.

Si quis exciderit sylvam ex nuce viva, vel ex quercu nova in alterius sylva, & compræhensus fuerit, solvat III. oras, sic pro II. & III. si pluries, solvat III marcas: Quod si quis exciderit quercum aut pomum fructiferam in aliena sylva, solvat I. oram, sic pro II. & ità pro III. Quod si quis plaustrum vel onus cymbę exciderit in aliena sylva, solvat III marcas pro I. & sic pro II. & III. nec erit amplior pæna: Quod si quis exciderit quercum vel fagum, vel aliam arborem fructiferam, solvat III. marcas: Quod si non fuerit palàm appræhensus, purget se juramento XII. virorum, vel ostendat se conduxisse de vero possessore: Quòd si quis exciderit decem vel plures & fuerit deprehensus, solvat XL. marcas; Si non sunt probationes, purget se juramento XII. virorum: Si quis carpserit suber ex querubus in aliena sylva, & deprehenditur, solvat III. marcas, sic pro II. & sic pro III. & tunc potest

ligari

ligari, & virgis cædi fustigarique in Placito per Sententiam latam, si non sufficit ad solvendum pœnam pro suberibus detractis, & sylvis exustis, & non relevat neque licentia neq; conductio: Quòd si fiat exsuberatio sivè exustio, puniatur eodem modo. Nullus possessorum potest excidere quercum vivam neq; unam neq; plures, nisi cum licentia compossessorum, ni sese astringat ad pœnam in Lege expressam, unam marcam omnibus qui sunt in sylva compossessores solvendo, sic pro II. & III; Quod si IV. exciderit, solvat III. marcas: Quod si quercus est infra limites agri, illam excidat absque meru pœnæ.

Quòd si quis pomum exciderit in sylva aliena nondùm fructiferam, solvat III. marcas, sic pro II. & III; Quod si IV exciderit, solvat III. marcas: Quod si quis exciderit pomum vel alias arbores fructiferas, solvat VI. oras, sic pro II. & III; Quod si IV. exciderit, solvat III. marcas: Quod si quis aliquem appræhendit in sylva sua, potest illi tollere securim vel vestem pro intersigno, & non admittitur ad aliquam purgationem qui fuit palàm apprehensus, nisi habeat licentiam vel conductum; Sed si horum alterum habuerit, recipiat vestem sibi sublatam & uterq; impunitus evadat; Quod si contendunt, uno dicen-

dicente quod in propria sylva sibi sit hoc factum, & alius dicit alibi id factum esse, standum erit verbis illius qui pro intersigno vestem vel securim cæpit, si habet testes duos qui viderunt, & prçsentes fuerunt; At si deprçhensus allegaverit licentiam pro se, illam probet testimonio VI. virorum.

CAPUT XIX.

De usurpantibus aliquid in aliena sylva per venationem.

NEmo potest in aliena sylva rendicula ponere, nisi pro ursis, lupis & vulpibus, & illas potest quilibet impunè feras occidere; Quicunque itaque non habuerit retia longitudinis IV. cubitorum pro lupis appræhendendis, solvat III oras pro consocijs: Sic etiàm quilibet obligatus pro conservatione sepium luporum, sicut sepium agrorum: Omnes sint provisi de retibus quintâ die Pentecostes, qui non habet retia sufficientia illo tempore, solvat III oras; Nam omnes tenentur ad fugandum lupos, qui non venerit, dummodo sibi nunciatum fuerit, solvat III. oras; Qui autem venerit & ibi turbationes fecerit, & stare noluerit ubi deputatus fuerit, solvat III. oras.

Nemo potest cum funiculis venari nisi Rex, dùm necesse habuerit pro usu suo, & non alius, qui alius hoc fecerit, solvat XL. marcas, & hoc cognoscatur in Placito Contractæ, de qua pœna Rex recipiat XX. marcas, & Accusator X. & Contracta X. Quod si talis fuerit captus in recēti, solvat ut dictum est: Nemo potest pro onagris capiundis cuspidem ponere in toto regno, nisi solvat IX. marcas in tres partes dividēdas; Quod si vir vel mulier ex hujusmodi cuspidibus occidatur, solvat tunc ille qui posuit XL marcas, in tres partes dividēdas, nisi in terris hic exceptis, nempè Daal in Westrogothia, ac in Helsingia; Et tamen non in illis temporibus in quibus hic fit inhibitio, hoc est, à Carnisprivio usq; ad festum S. Olavi, nemo pro onagris venetur. Neq; potest aliquis cum retibus, pro capiundis lupis aptatis damas capere, nisi contingat quandò pro lupis venatur: Cùm aliqui pro onagris capiundis venantur, si hujusmodi animal suscitant, & ejus vestigia sequuntur, & deindè vestigia perdant, nemo per illa vestigia animal ipsum insequi debet, nisi lapsis primùm tribus noctibus; Quod si taliter insequentes alterius vestigia onagrum capiunt, & qui suscitaverunt superveniant, fit tunc animal ipsorum qui suscitaverunt; Quod si illi qui vestigia perdiderunt

derunt, & infra tres noctes non apprænderunt, sed per alios erat fera occisa, fit tunc animal ipsorum qui apprænderunt, & non illorum qui suscitaverunt, & vestigia perdiderunt: Quandò autem animal in venatione telo percutitur, tunc percutientis est coxa & medium dorsum; Cùm deniq; venatores venantur, & aliorum canes animal sequuntur, debetur tunc cani tanta portio pro medietate, quanta uni venatori debetur.

CAPVT XX.

De tempore quo venatio est permissa.

NEmo potest in aliena sylva, neq; propria venari asperiolos, mardiones, aut ermelinos ante festū omnium Sanctorum; Quod si quis venatur priùs, & in hoc compertus fuerit palàm à vicinis, propinquis seu remotis, dùm apprænditur venator cum tēdiculis, solvat III oras, hasq; recipiat dominus sylvæ; Quod si post medium Quadragesimæ venetur, solvat quoq; ut est dictum: Quod si pœnam solvere noluerit, vadat tunc Actor ad Placitum, & extrahat de bonis Rei III. oras, & III. marcas trifariè dividendas; Quod si palàm non est apprænsus, purget se juramento VI. virorum.

CAPVT XXI.

De usurpante & ædificante in alienis aquis seu piscaturis.

SI quis ædificat in alienis à quis seu piscaturis, perdat labores & insuper solvat III. marcas; Et si quis quævis vasa ponit in alterius ædificio, vel mergit in alienis aquis, vel ponit tetia, aut piscatur cum igne vel tridente, id tempus quo extra pisces semina mittunt, vel quemcunq; modum habuerit piscandi, solvat III. oras: Quod si quis in alienis aquis vel piscaturis piscatur cum instrumentis quibuscunque tempore emissionis seminum, solvat III. marcas, sit piscatura qualiscunque. Quod si quis trahit sagenam in tempore emissionis seminum, vel alio tempore, tollantur ab eo vestes, vel aliæ res per possessorem pro intersigno, & ille solvat III. marcas, qui aquas alienas intravit sine licentia possessoris: Quod si licentiam habet, vel aquam conduxit, in nullo puniatur; Quod si non, solvat III. marcas.

Nemo autem potest licentiam capere, nisi solùm ab eodem compossessore; At si quis negat quòd fuit captum sibi aliquid, in illa aqua de qua dicit Actor, tunc hoc probet per testes VI. & Actor puniatur

niatur in III. marcis; Quod si contendunt, alius dicit quòd talis deprehensio & ablatio pro intersigno capta sit per spolium vel furtum suscepta, stetur tunc dicto illius qui rem abstulit, & probet III. testibus, si sit legitimè oblatum vel non; Quod si potest hanc probationem facere, in nullo puniatur; Quod si non, solvat pænam raptus quòd minùs juridicè abstulit, hoc est III. marcas. Pro omnibus autem casibus in quibus quis non est palàm apprehensus, potest accusatus se Jure tueri; Hoc autẽ secundũ cujuslibet casus circumstantiam seu condicionem, vel delicti qualitatem. Cùm duo contendunt de piscaturis, altero dicente se plus habere in aquis, & minùs percipere de piscibus, & dicit ille qui vult divisionem aquarum facere, ego volo scire partem meam tàm in ripis ubi juncus crescit, quàm in retiaculis manufactis, standũ est tũc voluntati illius qui vult divisionem facere, & hanc faciat coram vicinis & parochianis, ac etiàm in Placito; Quod si negat illi compossessor divisionem legitimam, & sic posteà piscatur sine licentia, puniatur tunc quisque pro usurpatione, ut superiùs expressum. Quod si sunt passagia vel torrentes extra terminos villarum, possunt tunc omnes retenticula facere qui in villis sunt compossessores, si volunt, & sic ædificet quis prout

posidet in villa vel fundo; Qui destruit sagenam pro alio, præcidendo ut non sit utilis, reficiat damnum, & puniatur in III. marcis: Quod si quis destruit retia, vel vasa alia pro piscibus capiundis aptata, qualiacunque sint, talis solvat III. oras, reficiatq; damnum.

CAPVT XXII.

De terminis inter villagia, & si dicatur terminus motus.

OMnes villæ debent esse designatæ cum terminis & confinibus, & si termini tales sunt, maneant qui priùs fuerunt; Quod si non sunt termini, & sunt tamen antiquæ sepes & inveteratæ, standum est tunc illis: Quod si amnis intermediat inter villas, potest tunc ex illo ratio sumi, si termini & alia signa deficiunt; Quod si duæ villæ protenduntur ad longitudinem stagni, vel passagij, medietatem sibi vendicet quælibet villa; Si insula est in medio stagni, sit una medietas illius insulæ cujuslibet villæ; Quod si propinquior sit ripæ alterius villæ, illius sit & insula cujus est aqua; Si insula est mobilis in passagio, illius sit insula qui eam firmare potest apud terram suam: Quod si villa situata est circa finem stagni alicujus, tantum habeat in stagno quantum mensura villæ admittit; Quandò aliqui contendunt de termino & ejus signo, alius dicit se posidere terminum obliquum & incurvatum, & alius rectum, super eo eligantur inspectores, & sic sit liberum utrique parti pro medietate tales eligere; Et ità tunc illi termini sunt legitimi quos illi approbant, sivè sunt curui, sivè recti. Cùm autem villani inter se contendunt de tali termino, nulli illorum sit potestas alteri se submittendi, neque quoad terminos fundorum, neque virarum, sed alios terminos investigent; Quod si villa ædificata & desolata contendunt, si villa ædificata habet terminos suos & sepes, tunc standum est illis; Quod si non habeat, illi villæ subjaceat cui priùs subjacebat.

Cùm duæ villæ ædificatæ contendunt, debent tunc villani de fundis & attinentiis suis diem præfigere, & inspectionem, quę possessoria vocatur, facete, & si sic concordabunt, in tali concordia remanent; Quod si non concordabunt, accedant tunc ad Placitum Actores & Rei, & ibi XII nominent inspectores

ctores, liberumq; sit utriq; parti medietatem inspectorum nominare, & reliquam medietatem, ex parte Contractæ deputati neminent, quandò non est appellatum. Hi XII investigabunt, quæ partium majus jus foveat, & postquàm hoc scrutati sunt, debent testificari in Placito Contractę, quid in veritate per ipsos est compertum; Qui de hoc non vult esse contentus, sit illi libera facultas appellandi à Placito Contractæ, ad Placitū Districtus seu Territorij in proximo celebrandum: Villanus verò se obliget ad pœnam III. marcarum, & inspectores Contractæ ad pœnam VI. marcarum; Quod si inspectio territorialis facta est, erit tunc firmū quod per eam factum est, & ab illa nō appellatur, & sit ratum quod per VII. ex inspectoribus fit, vel pluribus; Et illi XII. debent rem de qua agitur inspexisse ante primum Placitum territoriale, postquàm fuerant nominati: Omnes verò inspectiones super villarum & earundem attinenciarum terminis, debent fieri inter festum S. Walburgis, & omnium Sanctorum, quę postea fiunt nullius sint roboris vel momenti.

Quandò duæ villæ concurrunt in agris vel pratis, & si placet ipsis quòd per sepes ad invicem separentur, & alia villa est æstimata pro majori importantia, & alia minori, plus faciat in sepibus quæ pluris æstimata est, & illa minùs quæ pro minori; Quod si hoc etiam contingit in pratis, simile sit judicium sicut de agris: Quod si campi pro pascuis deputati, adiacent agris vel pratis alterius villæ, providiat de sepibus cujus est ager vel pratum, & non iste cujus sunt pascua: Quandò concurrunt syluæ cum agris vel pratis diversarum villarum, idem jus servetur; Quòd si pascua diversarum villarum concurrunt, & quamvis pluris æstimata sit una villa quàm altera, vadant tamen ungulata cum ungulatis, & non potest altera alterius gregem in custodiam abigere, nisi altera villarum velit sepes erigere; Cùm autem duæ villæ concurrunt, & alia possidet pascua alia non, conducat tunc illa pascua quæ nihil possidet, prout poterunt concordare; Quandò denique aliqua villa, vel aliqui villani erigunt sepes extra suos terminos, & hoc probari potest per illos inspectores, quos per se duxerint nominandos, deponant tunc sepes, & puniantur in III. marcis.

CAPUT XXIII.

De terminis majoribus & minoribus, & pœna movèntium illos.

TErminus propriè est ille in quo sunt V. lapides, IV. quidem in circuitu, & I. in medio illorum

quatuor: Quatuor etiàm, vel tres lapides non propriè terminum faciunt, sed cùm faciunt est minor: In quolibet termino designante fundos, debent esse V. lapides, sed pro vijs sufficiunt III. & VII in termino ad designandum agellum, seu peciam terrę, quæ cum alijs pecijs non vadit in divisionem; In pecijs autem agrorum, & pratorum quę inter plures dividuntur, ibi II. lapides pro termino sufficiunt, & quicunque lapis solus, sivè os, sivè ex ligno palus; Uni tamen lapidi non statur probatione sufficiente: Quod si horum terminorum nullus appareat, aut sepes agrorum, sit tunc distinctio agrorum in medijs amnium & passagiorum: Qui autem terminos movet de aliena possessione, & alium terminum facit, sed non justum, & hoc potest per testes sufficienter probari, pro hoc nominentur inspectores, qui testificabuntur quòd termini sint moti majores vel minores, & novi repositi, puniatur tunc ille XL. marcis, qui antiquos terminos movit & novos fecit; Quod si Actor in probatione tali deficit, debet tunc reus purgare se juramento ipse duodecimus; Quod si facere potest, pœnam evadit; Quod si non potest, in XL. marcis puniatur, nec propterea erit Actor in aliquo puniendus: Nulla demùm villa potest terminos

nos levare & reponere, nisi in præsentia omnium compossessorum, & si sic fuerit sententiatum; Si verò oporteat ponere terminos pro distinctione fundorum, ibi etiàm debent adesse omnes compossessores, nec opus est quod tunc aliqua sententia præcedat.

CAPVT XXIV.

De Pascuis & sylvis inter villagia.

QUandò inter aliqua villagia sunt pascua, si distincta sunt per terminos, hoc quod observatum fuerat observetur postmodùm; Quod si tales termini non sunt pascua, sint communia ipsis villagijs; Quod si sylva de qua combustibilia tantum exciduntur, sit inter villagia, eodem jure censetur sicut pascua; Quod si sylva est ad alia utilis, quàm quod indè combustibilia exscindantur, & si sunt termini, hoc quod fuerat servatum servetur; Quod si non sunt, dividatur sylva per oras & solidos.

CAPVT XXV.

De re communi super qua contendunt plures Contractæ.

QVandò duæ Contractæ contendunt de re aliqua quæ communis est, & quælibet dicit rem talē ad se pertinere, debent tunc nominari in-

ſpectores ex una aliqua tertia Contracta, quæ tamen ſit proxima, & non de illis contendentibus: Illa autē Contracta quæ contenta non eſt de ijs quæ inſpectores agunt, appellare poteſt ad examen territoriale, & in vadium ponātur XII. marcæ ex parte Contractæ, & XII. marcæ ex parte inſpectorum, in tres partes dividendæ, & tunc XII. de territorio terminent inter illos, ſicut ſolent terminari aliæ cauſſæ, quandò ſuper prædijs, vel ſuper bonis immobilibus agitur, & illorum judicio erit ſtandum: Nemo verò poteſt alterius villæ vel Contractæ rem communē habentis tollere, vel aliàs uti, nec in ſylvis nec in aquis, ſub incurſu pœnarum in Legibus expreſſarum, niſi habeat à poſſeſſoribus licentiam, vel conduxit ab illis: Quòd ſi ſylvæ communes per quas viæ protenduntur, non fuerint purgatæ, & pontibus inſtructæ, tenetur tunc tota Contracta vias purgare, & pontes reficere, aliàs poteſt unuſquiſque in Contracta puniri, ſecundum quod illic obtinet partem.

Nemo poteſt ædificare in talibus communibus locis Contractarum, niſi habeat à Contracta licentiam, vel ejus Præſide, & qui in talibus locis ædificat, curam habeat de pontibus in tanta latitudine, quantum eſt quod occupavit: Hoc autem cenſetur per eum occupatum, quod eſt ſepibus circumſeptum

ptum, & ſolvat de illa portione, prout poterit cum Contracta aut Præſide convenire: Eodem modo fiat quandò aliquod territorium quemvis locum communem habet, & tunc licentia ſumitur à territorio & ejus Legifero.

Omnes introitus contractarum dentur & colligantur in die S. Franciſci poſt feſtum Michaelis; Sed introitus territoriorum in die S. Dioniſij: In ijs autem diebus ſolutio fiat tàm in Cōtractis, quàm in territorijs, in locis ad hoc ab antiquo electis: Qui nō ſolverit quod ſolvere tenetur in diebus & terminis prædictis, hoc modo puniatur: Accedat ad non ſolventem Præſes Contractæ, VI ſibi ex Contracta adjunctis, & tollat de bonis illius quantum fuit debitum erga Contractā vel territoriū, & tantundem pro pœna, cujus pœnæ medietatem recipiat Præſes pro ſua fatigatione, & reliquā medietatem Territorium vel Contracta: Quod ſi anno ſequenti ſimiliter non ſolverit, hoc quod dictum eſt ſervetur pro jure: Quod ſi contumax eſt, & etiàm tertio anno eodem modo fecerit, privandus eſt tunc ædificijs per eum erectis, & laboribus ibidem factis, ac Præſes cum conſenſu Territorij vel Contractæ, locet locum illum cui velit.

Nec verò sit cuiquam licitum, aliquem expelle-
re de loco in quo residet, sub pœna prædicta, quam-
diu satisfecerit, nec ejus hæredes, dummodò faciunt
id ad quod tenentur; Quod si talis habitans in loco
qui communis est, de pauperetur, ità quod nequeat
onera portare, vel reddat prædium in quo habitat
penitùs desolatum, propter nudam inopiam & pau-
pertatem, & potest se anno sequenti juvare & præ-
dium restaurare, & onera sufferre, & restantias sol-
vere, non debet expelli; Quod si non potest, debet
tunc Legifer, vel Præses prædium alteri locare, ut
superiùs est dictum, & debet Præses cum VI. viris ex
Contracta ire ad æstimandum ædificium, & illus de
teriationem; Et quidem primùm detrahatur pensio
Contractę, quę restabat, ex ædificijs, si non fuerint a-
lia bona; Quod si ædificia plus valent quàm est pen-
sio Contractæ, refundat colono secundum dicta æ-
stimatorũ. Nemini deindè licitum est emere ea quę
communia sunt, sivè pertineant ad Contractas, sivè
Territoria, vel permutare, nisi solvere velit integri
pensionem, quę ante talem emptionem vel permu-
tationem soluta fuit; Nemo deniq; potest aprare aut
planare sylvas communes Contractarum vel Terri-
toriorum, qui hoc facit VI. marcis punietur, & per-
dat labores.

CAPVT

CAPVT XXVI.

De pascuis, & aliis rebus indivisis non appropriandis.

NEmo potest pascua, aut quæcunque alia indi-
visa sibi appropriare vel vendicare, neque ad
usum agrorum vel pratorum, vel ad quemcunque
alium usum sibi utilem, nisi sit priùs inter com-
possessores divisio facta, qui hoc attentaverit, per-
dat labores, & puniatur in III. marcis. Quod si qui
habeant sylvam quæ purgari potest, possunt tunc
compossessores simul purgare illam sine divisio-
ne aliqua, & purgans utatur parte suâ purgatâ
per triennium, & posteà relinquat ut pro sylva
habeatur sicut priùs fuit; Quod si diutiùs colat
sivè pro agro, sivè pro prato, vel in alium habeat
usum sibi utilem, puniatur in III. marcis, & perdat
labores. Quod si contendunt, altero dicente
quòd minus purgavit, & petit dividi, est
tunc audiendus qui pro divisio-
ne jnstabat.

CAPVT

CAPVT XXVII.

De aquarum fluxu non arctando.

QVòd si inter villas sit locus pro molendino, usum illius loci habeat utraque villa, quantùm protenditur attinentia villarum: Quod si talis locus est infra metas villæ, habeat tunc quilibet de compossessoribus partem in illo, prout in fundo & in agro ac praro partem habet; Nec potest aliquis alteri in præjudicium molendinum erigere, non superiùs ità quod aqua crescat & agros vel prata destruat, non inferiùs nè superiùs augeatur aqua, ità quòd molendinum propter aquam arctatum in suo motu deficiat: Quod si taliter ædificantes contendunt, dicente uno agros & prata destructa & molendinum, eligantur tunc inspectores ab ipsis compossessoribus, quilibet pro medietate sua nominet inspectores, atq; si talis lis concordabitur, benè est; Quod si non, ad Placitum vadant, & nominentur illis inspectores per Præsidem XII, in quos consentiunt, & illi inspiciant: Quod si eis apparet, quòd talis structura nulli præjudicat, potest tunc remanere; Quod si dicunt illam esse præjudicialem, & damnum inferre, debent tunc tales ad Placitum redire, & jurare quòd alius damnificatur ex illa.

Quod

Quòd si nemo priusquàm juraverint, vult appellare ad examen territoriale, quod tamẽ potest, determinetur tunc inter illos, prout in alijs litib: super bonis prædialibus determinari solet; Quod si alter appellare noluerit, priusquàm inspectores juraverint ex Placito deputati, servetur nihilominùs prout per ipsos erat probatũ & juratũ: Postquàm verò inspectores juraverant, quòd ædificium est præjudiciale, & vicino damnosum, puniatur tunc ædificans in III. marcis, & Præses judicet demoliendum esse molendinum; Et debet præfigere illi medium mensem, ut per se amoveat quod minùs legitimè ædificavit; Quod si reus nolit demoliri opus infra terminum sibi præfixum, potest tunc Præses assumere sibi XII. ex Contracta, qui illuc accedãt, & ædificiũ amoveãt cum Præside, & tollant bona pro pœna ad valorem VI marcarum, in tres partes dividenda, III marcæ pro structura minùs legitima, & III. pro sententia violata: Quod si reus confugerit ad arma, & cuiquam damnum intulerit advenienti, sivè vulnera infligantur, sivè etiàm aliquis occidatur, dupletur illi pœna pro quolibet suo excessu, & damnum quod illi infertur nihili æstimetur.

Idem jus sit in piscaturis, quandò ibi aliquid minùs legitimè ædificatur; Quandò autem plures

fluvij concurrunt, & omnes volunt ædificare, non poteſt tunc unus ità ædificare, quòd alterius fluvius reddatur inutilis; Ille verò qui ſine alicujus præjudicio ædificare poteſt, nihil obſtat quin ædificare poſſit: Quandò novæ ſtructuræ antiquis obſunt, præſumitur tunc pro antiquis, ità ut novæ veniant demoliendæ : Sed cùm ſtructura facta eſt legitimè tàm ſuperiùs quàm inferiùs, ſivè plures ſtructuræ fuerint, ſivè pauciores, ſuperior non retineat aquam inferiori, & inferior non claudat aquam ſuperiori; Sed aperiat inferior clauſuram ſuam, vel ſolvat VI. oras, ſi ad hoc fuerit convictus cum duobus teſtibus domicilia habentibus; Quod ſi convinci non peterit, in nullo puniatur ; At totiens ſolvat VI. oras, quotiens ad hoc fuerit legitimè convictus, ut eſt priùs dictum : Cùm plura ſunt unius loca apta ad uſum molendini, & poſſeſſorum unus vult ædificare, alij verò non, favor ſuffragabitur ædificare volenti, debetque ille tribus Placitis citare compoſſeſſores; Et ſi ante tertium Placitum non ædificaverint cum eo, inſtet tunc in tertio Placito pro ſententia Præſidis, quam Præſes dabit, & deindè ædificet ſine metu alicujus pœnæ; Et ſi poſteà citaverint compoſſeſſores ædificantem, & propoſuerint contra eum, quòd per violentiam in eorum fundo ædificavit, ſtandum eſt dictis ædificantis, dummodò probet teſtimonio VI virorum, quòd ædificavit ex Præſidis ſententia pro ſe obtenta, Et deindè habeat uſum ædificij ſui, donec tantum levaverit, quantum in ædificando expendebat, & hoc arbitrentur VI. arbitri, quos litigantes dixerint nominandos, idemq; jus ſit in piſcaturis. Nemo deniq; poteſt aquas aut piſcaturas antiquas ab antiquitate averrere, & pro alio deſtruere, niſi ſub pœna III marcarum, & cum refuſione damnorum, ſecundum æſtimationem in Placito ad hoc nominatorum: Sed cùm paſſagium eſt inter villas vel Contractas, debet tunc tranſitus per aquas eſſe & amplus, patens ad XII. vlnas pro territorij evectionibus & navibus groſsis: Sed pro cymbis VI. vlnarum ſit pontis amplitudo, ſi non eſt via communis, quiq; aliter meatus in aquis claudit, ſolvat III. marcas.

CAPVT XXVIII.

De incendio fortuito, & juramento deſuper præſtando.

CVm damnum accidit quod non intendebatur, ut cùm ignis incendit domum in aliqua villa,

est videndũ ex quib. domibus ignis oritur: Tres sunt domus in quibus foci possunt haberi, videlicet stubella, coquina, & domus in qua brasium exsiccatur; Quod si oritur ignis ex hujusmodi domibus, in nullo talis, ex cuius domibus oritur ignis, punietur; Sed de quacumq; alia domo ignis oritur, ignis exportatus dicitur. Cùm verò triturando in horreis, triturarorum ignis quẽ exportaverũt, ibi augetur ultra quòd sit necesse, & comburitur simul horreum cum segetibus, debent tunc suam afferre purgationem manibus duodecim virorum, quòd casuale fuit incendium, & solvere pœnam VII. marcarum; Si deficiunt in juramento, solvant XL marcas.

Sed si paterfamilias, vel ejus filius fuerit in horreo, censetur tunc ejusdem juris horreum cum domibus priùs nominatis, in quibus solet ignis haberi, scilicet stubella & coquina. Quod si quis portat ignem inter domos vel villas, & talis ignis exiliat comburaturque una domus, solvat VI. oras, pœnâ casus fortuiti, & præstet juramentum casus fortuiti duorũ juramento; Quod si secunda & tertia domus comburitur, sit idem jus: At si tota curia comburitur, solvat III marcas, præstetq; juramentum casus fortuiti juramento VI. virorum; Quod si plures curiæ, vel tota villa combusta fuerit, solvat VI. marcas, & suppleat

suppleat juramento casus fortuiti, XII. virorum manu, nec eò plus solvat quià plures villæ comburuntur: Quod si ecclesia comburitur in villa, solvantur III. marcæ, curamque similem habeat Presbyter & Campanarius de igne exportato, sicut parochianus, sivè exiliat de ecclesia, sivè ex domibus eorum. Quod si homines comburantur in simili casu, unus vel plures, solvat III. marcas pro qualibet persona, cum juramento casus fortuiti, XII. virorũ manu; Si deficit in juramento, solvat XL. marcas pro qualibet persona, & sic pro tota villa, ad trinam divisionem; Et capiat quilibet qui est Actor tantùm de hujusmodi pœna, quantùm æstimatum fuerit ipsius damnum per IV. æstimatores.

Talia autem juramenta super casibus fortuitis, & in omnibus alijs præstabunt viri domicilia habentes, non vagabundi vel mercenarij. Quod si quis importat ignem in alterius molendinum, sivè sit molendinarius, sivè quis alius, & comburitur molendinum, & frumentum propter incuriam, ille cujus intererat ignem observare, reficiat domum æquè bonam, & solvat III. marcas, XII. quidem oras possessori molendini, & XII. oras illi cujus erat frumentum, præstetque juramentum casus fortuiti duodecimâ virorum manu; Quod si defecerit in

juramento, tunc reſtituat damnum prout fuerit æſtimatum, & IX. marcas in tres partes dividere das: Idem jus ſit de molendino quod per ventum agitatur, ſivè de eo quod aquâ impellitur: In quacunq; Contracta ſimile damnum acciderit, Contracta eſt obligata ad ſubſidium præſtandum, prout damnum fuerit æſtimatum.

Præſes itaq; Contractæ nominabit ſibi VI viros in Placito, qui accedent illum qui paſſus eſt damnum, & juxta teſtificationem vicinorum æſtimabunt damnum; Quod ſi æſtimaverint ad XX. marcas, debet tunc de tota Contracta ſubſidium ſeu contributionem habere: Quod ſi æſtimaverint ad X. marcas, capiant tunc contributionem ab illa parte Contractę in qua damnum eſt factum: Quod ſi æſtimatut ad quinq;, capiat tunc contributionem ab illa Quarta in qua habitat: Contributio verò talis ſit modius annonæ medius, vel IV. denarij monetæ regni: Qmnes tenenrur recipere talem contributionem, & dare qui domicilia habent, tàm clerici quàm laici, & ſimiliter eorum familia, nemoq; ſit ab illa contributione liber.

Quod ſi exportatur ignis in ſylvam, ad combu- redam ſylvam pro ſiligine ſeminanda, vel quavis a- lia combuſtione, & ſi talis ignis exit latiùs quàm eſt opus,

opus, invocet tunc vicinos ad extinguendum, quod ſi facere poteſt in nullo punietur; Quod ſi non poteſt, tenetur tunc ſequi ignem accenſum, & apparentem fumum, offeratq; juramentum caſus fortuiti pro ſe; Quod ſi non poteſt tale juramentum præſtare ſextâ manu, ſolvat pænam pro facto caſuali talis ſylvæ, in qua ſunt ligna ad comburendum apta, & ſic pro II. & III. pœnaque talis cedat compoſſeſſoribus tantùm: Quod ſi tale juramentum præſtare non poteſt, ſit tunc pœna major, nempè IX. marcæ pro una ſylva, ſic pro II & III. Quod ſi non eſt palàm appræhenſus, purget ſe manu duodecimâ.

Si quis comburit ſylvam fructiferam, vel fagum caſualiter, aut ſi comburit quercum & fagum, ſolvat pro una quercu vel fago III. oras, & ſic pro II. & III. ſuppleatque juramento caſus fortuiti per VI. teſtes; Quod ſi comburit X. vel plures, ſolvat VI marcas, & ſuppleat quoq; juramento caſus fortuiti per XII. compurgatores; Quod ſi non poteſt tale juramentum præſtare, tunc ſolvat pro una quercu vel fago VI. oras, & ſic pro II & III. Si comburit IV, ſolvat tres marcas: Quod ſi comburit X vel plures, ſolvat quadraginta marcas, nec erit illa pœna major: Quod ſi impingitur alicui de igne exportato, & ipſe non

non est palàm appræhensus, vel legitimè convi-
ctus, purget se duodecimâ manu, & sit immunis
pœna.

CAPVT XXIX.

De apibus.

CVm inventæ fuerint apes in illa sylva quam
quis possidet, aut in qua partem habet, sint apes
illius qui invenit: Quod si invenit in aliena pos-
sessione, & aliena clausura, nulla sibi portio ex hi
cedat: Quod si inveniat extra septum, & in alien
sylva, tertia pars sit invenientis, & duæ partes ce
dant possessoribus sylvæ: Quod si dicit se invenisse
apiastrum, tollat partem quæ debetur inventori qu
primùm invenit: Quod si apes confluunt & volant
in alienam sylvã, & ille sequitur cujus sunt ad arbo
rem & foramen ubi intrant, & signat arborem, &
publicat hominibus ex illa villa, nemo potest sibi
hoc denegare, & deindè si alius supervenit, & dicit
apes suas, sint illius qui priùs publicavit. Quod si
euolant apes, & mellificant in quercu, debet tunc
quercus illa pro apiastro observari, & non destrui.
Qui autem arborem exciderit & destruxerit, solvat
III. oras pro pœna: Quod si apes intrant arborem
sterilem, tunc possessor arborem excidat, & apes
tollat

tollat impunè; Quod si compossessores sylvæ objiciunt apes petenti, quòd suæ non sint, probet tribus testibus quòd apes enutriebantur in ejus possessione pro apibus facta, & quod sequutus est in illum locum & tale foramen: Quod si potest illud testimonium afferre, recipiat apes impunè; Quod si in illo deficiat testimonio, emittat apes, & solvat VI. oras.

Quod si apes unius alterius occidant, solvat II. oras cujus erant apes accedentes, aut se purget juramento duorum, nec propterea plus solvat quià plures occidebantur. Qui in aliena sylva condimentũ ferens in quocunq; vase ad alliciendas apes, fuerit depræhensus, solvat III. marcas, nisi exeat de ipsius domo cujus est sylva, & est ejus commensalis in cibo sumendo & comedendo: Qui locaverit in sua, vel in sylva aliena aluearia, solvat III. marcas: Quod si quis furatur aluearium in quo sunt apes & depræhenditur, tunc potest talis ligari, & cum furto ad Placitum duci, & probationes contra eum produci ac suspendi, & ut reus furti damnari.

CAPVT XXX.

De villa quæ vulgò Affgardaby *appellatur.*

QVandò ex antiqua villa nova instauratur, quæ Affgerdaby vulgariter appellatur, illius in habitatores possunt ex loco qui communis est villæ principali, ligna ædificationi necessaria, capere, lignaq; ad comburendum extrahere, at non indifferenter omnia ligna, sed pro sepibus necessaria, & ligna ad comburendum tollere, cortices ab arboribus vellere licet, & pro grege pascua habere; Potest & cespitem scindere, & terram pro tecto tollere; At ibi pascantur sues, ubi & grex pascitur quem penes horreum nutrit.

Nec potest aliquis licentiam dare neq; precario, neq; per pensionem, neq; quidquã ex sylva vendere, sed sit hoc suum quod sepibus est inclusum: Quandò villa principalis vult aliquam mansionem constituere, tunc debent illi assignari pro communi strata X. ulnæ; Et illi debent de sepibus curam habere, qui ibi volunt aliqua impellere; Nec taliter fiat mansiuncula talis, quod non pateat exitus ab illa.

CAPVT

CAPVT XXXI.

De temporibus falcastrationum.

PRata quæ communia sunt, post Dominicam proximam post festum sancti Petri, falcastrentur; Qui autem priùs falcastrat in locis quæ communia sunt, & de hoc aliquis conqueritur ex possessoribus, solvat III. marcas, & insuper fænum perdat.

CAPUT XXXII.

De mulgentibus aliena armenta.

SI mulier mulget ovem vel capram alienam, & in hoc fuerit deprehensa, solvat III. oras; Quod si non deprehenditur, in nullo puniatur; Quod si mulget alterius vaccam & deprehenditur, solvat III marcas; Quod si testibus probari non potest, purget se juramento VI. virorum, cui tale imponitur crimẽ: Si quis ponit signum suum super alterius signo, in quacunque re sivè mortua sivè viva, & si res talis valet mediam oram, vel plus, solvat III marcas, vel purget se VI. virorum juramento; Quod si valet mediam oram vel minùs, solvat III. oras, vel se purget juramento III. juratorum; Si deniq; duo contendunt de uno signo quià ambo habent unum, incumbit tunc illi probatio, qui rem signatam in manibus habet.

CAPUT XXXIII.

De occisoribus armentorum.

SI quis occiderit alterius jumentum voluntariè, qualecunq; iumentum sit quod plus valeat quàm II.oras, restituat integrum valorem secundum æstimationem duorum, quorum quilibet pro parte sua nominet unum,& in super solvat III marcas,sic pro II, & pro III. Quod si testibus probari non potest, VI virorum purget se juramẽto: Quod si quis plura de grege animalia occiderit, quod vulgariter hiordahugh dicitur, reficiat damnum, & cum hoc solvat XL. marcas si convictus fuerit legitimè; Quod si non convincatur, purget se juramento VI. virorum compurgatorum: Quod si aliquis occiderit aliquod ex armento minoris valoris quàm II orarum, restituat duplum secundum dictamen æstimatorum, ut priùs est dictum. Cuicunq; talis reatus impingitur,&convincitur per testes qui hoc viderunt, purget se secundum quod casus se habet, ut est priùs dictum.

Quod si quis proijcit,vel sagittat ad alicujus gregem,& pejus vulnerat quàm intendebat,& si ex hoc moritur, restituat vivum pro mortuo, & probet juramen-

juramẽto VI testium quòd hoc de sua non processit voluntate.Si quis alium rogat succurrere gregi suo, puta equo vel alteri jumento, sanguinem minuendo &c. & aliter eveniat quàm ille volebat,purget se juramento suo proprio, quòd non evenit ex ipsius voluntate, quod damnum sit exindè sequutum,vel solvat quartam partem integræ pœnæ: Qui occidit canem vel illum furatur,solvat VI oras: Quod si autem ex jumentis aliquod vulneratur, & mors non sequitur, sivè sit equus, taurus aut equa, & est ad laboritia inutile factum, recipiat tunc ille qui vulneravit hoc quod vulneratum est ad medendum, & det alteri jumentum utile ad laborandum; Quod si sanabitur sine defectu, recipiat suum cujus erat, & alterum restituatur illi cujus fuit; Sed si defectuosum sit, retineat ille qui vulneravit quod defectuosum est, & det aliud damnum passo quod est sine defectu, secundum dictamen æstimatorum:Qui non vult hoc modo damna reficere, ut jàm est dictum, & querela sit contra illum in Placito, nominent tunc Præses æstimatores qui reum accedant, & extrahant de bonis rei tantum quantum est damnum, & insuper punietur in III. marcis.

Quandò quis proijcit ad equum, equam, taurum vel vaccam, & eruit oculum, vel amputat cornu

nu, aut caudam casualiter, solvat oram pro quolibet, & præstet juramentum casus fortuiti cum III. testibus; Quod si deficit in purgando, restituat medium damnum: Quod si eruit ambos oculos, reficiat totum, & præterea puniatur in III marcis, si poterit II. testibus probari; Quod si non sunt, purget se juramento VI. compurgatorum: Quod si quis percutit vaccam, ità quod in lacte deficiat, solvat mediam oram.

CAPVT XXXIV.

De occisione facta armento ab armento.

QVandò quis ex alterius grege aliquem de grege occidit, vel jumentum jumentum, puta equum vel equã, quod manducari non potest, & hoc legitimè fuerit probatum, reficiat medium damnum secundum dictamen æstimatoris; Quod si taurum aut vaccam vel aliud animal quod comedi potest, quartam partem damni reficiat, & mortuum teneat cujus priùs erat: Quod si de hoc aliquis conqueritur, & testes non sunt qui viderunt, purget se tunc juramento cui hoc impingitur, secundum quod grex se habebat. Quod si jumentum vulnerat jumentum, nulla sit mulcta; Quod si ju-

si jumentum quod est ad vehendum vel trahendum usitatum, vulneretur, ità quod redditum est inutile ad trahendum subjugo, debet tunc ille cujus erat jumentum quod damnum intulit, illi jumentum præstare in alterius locum, secundum dictamen II æstimatorum, quorum quiliter unum nominet pro sua parte, vel solvat II. oras.

CAPVT XXXV.

De cane qui damnum infert gregi.

SI quis habeat canem qui gregem, aut armentum solet lædere, aut sit aliud animal, & ità læserit ut indè consequatur mortem, capiat tunc mortuum cujus est canis, & restituat vivum æquale; Quod si non consequatur mortem, solvat quartam partem secundum æstimationem: Si autem secundò fecerit, recuperet damnum passo, & solvat VI oras, vel interficiat canem; Si verò tertiò, damnum passo recuperet, & solvat III. marcas in tres partes dividendas: Eadem autem pœna erit modo prędicto cum recuperatione damni, si pluries hoc attentaverit.

Jàm aliquis interficit canem alicui, vel fugatur, qui hoc fecerit solvat VI. oras; Sed si talis

est

est qui armenta solitus est custodire in pascuis, aut cum eo venerari, solvat faciens XII. oras; Quod si canis lædere solitus armentum, sit mitior pœna, videlicet media ex supradictis.

CAPVT XXXVI.

De custodia gregium à pluribus cum aliquo facta.

SI plures de una villa convenerunt cum aliquo qui custodiat illorum gregem, in hoc unus faciat alteri quod justum est; Quod si aliquis deficit pro hujusmodi facienda custodia, purget se juramento duorum, vel solvat II. oras, & illas recipiat custos gregis: Quod si custos perdat taurum, vel vaccam vel qualecunque de grege, solvat integrum valorem pro unoquoque, prout valuit secundum æstimationem II. æstimatorum: Quod si feræ aliquid surripiant de grege, & ipse custos est præsens, & recuperet hoc à fœra integrum seu sanum, non incurrit pœnam; Quod si non recuperat, precium reddat taliter solvat: Quod si vacca peperit in pascuis, & vitulus perditur, custos solvat tremissem. Quod si perdiderit agnellum vel hędum, solvat IV. denarios;

Si ju-

Si jumentum aliquod inciderit in alterius facturam, puta istius qui pro capiundis feris retiacula vel laqueos posuit, vel ad hoc truncos locavit, & moritur ex illo, siq; hujusmodi retiacula seu tendicula sunt palàm, ut debent, notificata, solvet custos gregis medium damnum illi cujus erat jumentum; Quod si non est legitimè publicatum, reficiat damnum totaliter qui retiacula posuit: Quod si custos perdat taurum vel vaccam, perdit mercedem; Quod si perdat bovem juvenem, solvat oram, pro capra vel agno solidum, pro vitulo agnello, & hedo IV denarios, pro antiquo sue oram, pro porco nondùm unius anni, solidum: Si denique pater familias castiget custodem baculo vel virgâ, & non mutilatur aut defectum incurrit, nulla pœna pro eo debetur.

CAPVT XXXVII.

De decorticantibus libros, vel myrtum colligentibus.

SI quis decorticat libros, vel colligit myrtum, vel lupulum sylvestrem in aliena sylva, reficiat

damnum, & ſolvat III. marcas ſi eſt legitimè convictus ; Qui myrtum colligit de loco qui communis eſt Contractæ vel territorij ante feſtum Olavi martyris, & comprænditur, ſolvat VI oras. Quod ſi colligunt lupulum ſylveſtrem ex loco communi Contractæ vel territorij ante feſtum Bartholomæi, ſolvant XII. oras, & tales nemo poteſt accuſare niſi poſſeſſor ſylvæ.

CAPVT XXXVIII.

De importantibus & impellentibus gregem in inſulam alienam.

SI quis impellit gregem, vel tranſportat ad inſulas alienas, & ſit grex ſivè jumentum qualecunque, qui aliquid ex hujuſmodi gregibus in cuſtodiam recipit, hoc intimare tenetur coram Placito parochiali ; Quod ſi poſſeſſor venerit, & ſi ad ſtandum juri ſe obtulerit, debet ſolvere oram pro equo vel bove antiquo, ſed pro bove juvene aut capra, vel agno unum ſolidum, pro hedo, vitulo aut agnello IV. denarios : Quod ſi non habuerit gregem ſuum, aut ſe ad ſtandum juri obligaverit infra tres dies Dominicos, ex tunc cura talium ſit poſſeſſoris ; Ideò ſi quid de grege deſtruitur, aut moritur, ſit damnum illius qui in tempore non redemit. Quod ſi quis nemine requiſito defert gregem ad inſulas, in quibus ipſe obtinet partem, ſit tunc precium redemptionis in una medietate minùs, quàm jàm eſt dictum.

CAPVT XXXIX.

De emente ex grege morbido gregem, vel capiente jumentum, vel aliud ſine ſcitu & licentiæ poſſeſſoris.

SI quis emit bovem vel jumentum ex villa, ubi armenta ſunt morbida, & inducit in domum ſuam, non obtentâ licentiâ vicinorum, depellat à ſe, vel ex coriet & ſolvat III. marcas, ſi quis ex vicinis eum deſuper voluerit convenire ; Quod ſi hoc ſilet, & dicit ſe hoc ignoraſſe, purget ſe juramento VI. compurgatorum, & depellat ſine incurſu pœnæ : Quod ſi non vult depellere, neque mactare, ſolvat VI. marcas.

Nemo poteſt alterius navim, bovem, inſtrumenta quæcunque & qualiacunque ſunt talia, vivum vel mortuum ſibi in aliquem uſum habere, niſi habeat licentiam, vel conduxit à vero poſſeſſore, aut ſubeat pœnam furti, prout diſtinguitur in libro de furto.

LIBER

LIBER SEPTIMVS DE JVRE SVECORVM Gothorumq; mercandi.

CAPVT I.

De emptione rerum mobilium, boum vel veſtimentorum.

QVotiens emitur aliqua res mobilis, ſivè ſit jumentum vngulatum, ſivè ſunt veſtes formatæ, navis vel arma, aurum vel argentum formatum, debet ſemper fieri in præſentia teſtium & copulatorum.

CAPVT II.

De auro & argento falſificato.

SI quis emit aurum & argentum falſificatum ab alio quàm auri, fabro, & ſi ille depræhendat qui emit, quòd in illo eſt commiſſus dolus, tunc tene-

tur illa recipere qui vendidit, & purget se duodecimâ manu, quòd ignoraverit dolum subesse; Quod si deficit in purgatione, solvat III. marcas. Quod si negaverit se vendidisse, purget se duodecimâ manu, vel restituat precium, & solvat pœnam ut in sequentibus dicitur: Quod si aurifaber vendiderit falsificatum aurum vel argentum, referendum est tunc hoc ad civitatem ad probandum, quòd si est purum, teneat quisque quod habet; Quod si est impurum, restituat aurifaber precium, & pro se teneat quod dolosè est factum, & in VI. marcis puniatur. Quod si negat & rem, exhibitam non vult recipere, illud quod dolosè est factum, præsumitur tunc pro eo qui emit, & cum II. testibus domicilia habentibus exhibeatur venditori, & solvat pro pœna venditor ut est dictum. Cùm autem traditur ad manus aurifabri argentum vel aurum, debet esse purum, & adesse debent duo fide digni domicilia habentes, & si posteà ille dixerit cujus est aurum, quòd non est purum ità restitutum sicut fuit traditum, fit tur tunc testimonio illorum qui in traditione aderant, qui si purgent aurifabrum impunè evadat, & precium laboris recipiat: Quod si noluerint fabrum purgare, tunc potest fur dici, & ut fur puniri juxta dictamen æstimatorum & quantitatis ablatæ.

CAPVT

CAPVT III.

De aliis mercaturis ubi dolus invenitur commissus.

QVod si quis emerit salem, ceram, incensum, butyrum, unguentum, adipem, vel lupulum, & si in illis præsumitur aliquid doli subesse, sivè sit emptum vel venditum, nominet tunc uterque II. domicilia habentes, quilibet unum, & illi cognoscant si quod falsificatum dicitur, sit falsum sivè non: Quod si purgent venditorem, nullam pœnam incurrit; Quod si non, solvat III. marcas. Hoc autem modò puniãtur omnes in quorum mercaturis dolus reperitur, & ille recuperet pecuniam qui emit, & ille rem falsificatam qui dolo vendidit: Quandò aliquis mercatur cum alicujus uxore, si valor est ultra oram, potest maritus contractum retractare: Sed nemo potest cum filijs patrisfamilias, aut ejus familia mercari sine ipsius scitu, aliàs potest paterfamilias illam emptionem retractare, quiq; mercatur cum prædictis ultra precum IV. denariorum, solvat III. marcas.

CAPVT

CAPVT IV.

De emptione quæ fit in publico foro.

QVod si quis rem aliquam mercatur in foro publico, si sit hoc quod emerit mortuum vel vivum, & res empta pro eo impetitur, emensq; vendentem quis fuerit ignorat, probet ille rem suam qui illam impetendo deprehendebat, testimonio II juratorum & domicilia habentium, & ille qui emit probet per II. similiter testes se emisse; Deindè recipiat ille quod suum est qui impetebat, & alius precium quod solvit ubi posit requirat: Quod si quis emerit equam vel vaccam, aut quodcunq; jumentum de quo aliquid nascitur, & posteà imperitur jumentum quod emerat, erit tunc partus illius qui educaverat, quià nemo tenetur ad habendam curam de eo, quod alteri aliàs nascendo acquiritur, & ille suum redimet, qui quod imperierat rectè cognovit.

CAPVT V.

De jumentis conductis.

SI quis conducit equum vel taurum, aut rem aliam, sit qualiscunq;, debet tunc conductor rem conductam illæsam locanti resignare: Quod si dicat ille cujus erat jumentum, quòd defectuosum factum sit per ipsum cui conduxit, purget se tunc duodecimâ manu, & solvat mercedem quam promiserat; Quod si deficit in purgatione, restituat Patrono rem æquivalentem, & insuper mercedem: Quod si quis commodatò quidquam suscipiat, illud potiùs melioratum, quàm deterioratum restituatur; Neque debet commodatum perdi, sed ejus precium restitui, secundum quod vicini juraverint, qui cùm commodatò res daretur præsentes fuerant: Quod si unus dicat esse commodatum, & alius negat, incumbit tunc probatio illi qui commodatum dedit, & probet testibus ipse tertius quòd cõmodatum dedit.

CAPVT VI.

De deposito.

QVod si quis pecuniam deponit apud aliquẽ, vel res alias, deponat in præsentia II. testium: Quod si testes non sint, & ille qui deposuit dicit se plus deposuisse quàm recepit, probatio incumbit depositario juramento XII. virorum se tantum restituisse: Quod si depositum subtrahatur, vel per ignem aut spolium tollatur, si amborum bona simul capiuntur, depositarius ad restitutionem non tenetur.

CAPVT VII.

De pignoribus;

CVm res pignori data fuerit, & ante terminum ſtatutum non redimitur, debet tunc res pignori data re exhiberi in I. Placito, II. & III. Quod ſi tunc impignorans vult redimere pignus ſuum, hoc ejus arbitrio relinquatur; Quod ſi non vult, debet pignus æſtimari, & ſi pignus fuerit melius quàm eſt debitum, tunc det impignoranti hoc quod eſt plrius : Quod ſi pignus minùs valet quàm ſit ipſum debitum, ſuppleat tunc ille creditori qui eſt debitor in quo minùs valuit.

CAPVT VIII.

De Fidejuſſoribus.

SI quis fidejuſſorē pro pecunia ſe conſtituerit, tunc ſolvat illud pro quo ſe fidejuſſorem conſtituit, vel purget ſe manu duodecimâ, quòd nunquàm fidejuſsit. Quod ſi deficit in juramento, ſolvat id pro quo dicitur fidejuſsiſſe, ſit plus vel minùs: Quod ſi diſcordant, alius dicit fidejuſſorem pro majori ſumma fidejuſsiſſe, ſolvat tunc ſummā quam confitetur, purgando ſe manu duodecimâ, quòd pro majori

jori ſumma non fidejubebat : Quod ſi objicitur quod pro homine fidem dedit, & non pro pecunia, det illud pro quo fidejuſsit, & pœnam evadat: Quod ſi hominem dare non poteſt, ſolvat tunc debitum illius pro quo fidejuſsit, vel manu duodecimâ ſe purget: Quòd ſi fidejuſsio eſt facta in Placito, vel coram parochianis, ſtetur teſtimonio duodecim virorum, an fidejuſſum fuit vel non; Quod ſi non eſt in Placito factum, præſumitur pro reo.

LIBER OCTAVVS
DE
JVRE SVECORVM
Gothorumq; Placitandi.

CAPVT I.

De electione Legiferi & juramento ejus.

CVm eligẽdus est Legifer, fiat per Episcopum intimatio in Placito, & terminum præfigat VIII hebdomadarum, ut omnes ex territorio convenire poterint ad illud Placitum territoriale : Episcopus autem veniat cum duobus clericis, & populus eligat VI de armigeris, & VI tributarios, illiq; XII cum clericis debent III eligere qui domicilium habent in illo territorio, præ oculis habendo Deum, quòd tales sciant territorio utiliores secundum eorũ conscięntiam, De illis tribus postea unum Rex confirmabit, prout sibi fuerit divinitùs inspiratum,

tum, & quem videt utilem esse populo ; Qui verò per Regem electus fuerit & confirmatus, hoc juramentum præstabit.

Sic sit mihi Deus propitius, & reliquiæ Sanctorum quas manibus meis tango, quòd tàm super pauperes, quàm super divites per totum meum Territorium, in omnibus Sententijs sequar justiciam & nunquàm pervertam contra conscientiã, nec justũ pervertendo injustum vel injusticiam fovebo, neque propter timorem neque favorem, vel avariciam, neque propter odium vel rancorem, neque propter consanguinitatem vel amicitiam, & ità Deus sit mihi misericors, sicut verum dico, & mihi, si mentior, irascatur.

CAPVT II.

De electione Præsidis & ejus juramento.

CVm autem eligendus est Præses, tunc oportet Legiferum & populum de Contracta ad Placitum convocare ad unum mensem priùs, & fiat loco Placiti in illa Contracta; Debent tunc illi de Contracta nominare XII. & tertium decimum nominabit Legifer, illi quos volunt nominabũt tres Regi præsentandos, de illis qui in Contracta domicilia habẽt, Ex

Ex illis verò confirmabit vnum Rex quem vult, & noverit ad hoc idoneum esse : Quod si Rex non est in regno, faciat tunc hoc locum tenens Regis, & Præses jurabit eodem modo sicut Legifer juraverat.

CAPUT III.

De Legifero aut Præside muneribus corrupto;

SI Legifer judicaverit sumendo munera pro Sententia sua, det Regi quod accepit, & solvat XL. marcas, & perdat officium Legiferatus, & nunquàm recipiet illud : Quod si Præses per munera idem fecerit, sit idem jus ; Quod si idem fecerit Exactor sit idem jus ; Quod si quis ex Assessoribus Judicij seu Nempdarijs idem fecerit, sit par jus & nunquàm ampliùs habeat locum in Nempda: Quicunque verò potest aliquem convincere, quòd occasione prædictâ munera accepit, habebit tertiam partem, hoc est VIII. solidos, & VIII. marcas, quas delinquens pro pœna solvere tenetur.

CAPVT

CAPVT IV.

Nemo ex Præsidibus potest duabus Contractis præsidere.

NEmo ex Præsidibus potest in pluribus Contractis existere Præses, nisi in una tantùm, sibique debetur tertia pars ex omnibus mulctis quæ cedunt Contractæ, & Contracta disponat de alijs duabus partibus restantibus: Omnis deindè introitus Contractę de rebus communibus, dividi debent inter populum Contractę, secundum quod quis habet in possessione terrarum, de quibus tertia pars cedit Regi.

CAPVT V.

De modo intimandi Placitum.

SI occurrit dies placitandi in festo, vel die jejunando, intimet Præses in Placito priori, quo die vult præsidere in Placito; Quod si non intimaverit, tunc non accedant Contractistæ impunè, usq; in alium diem quo Placitum tenere potest; At Præses solvat III. marcas.

CAPVT

CAPVT VI.

De temporibus placitandi in Contractis.

TRia sunt tempora placitandi in anno in quolibet territorio; Primum est à vigesima die Nativitatis usq; ad septuagesimam Dominicam; Secundum à festo S. Botulphi usq; ad festum S. Olavi. Tertium à festo Michaelis usq; ad Adventum: His verò temporibus debent Præsides Placita tenere, uno die in qualibet septimana, & in loco consueto.

CAPVT VII.

De temporibus placitandi in territoriis.

PLacita territorialia teneri debent modo infrascripto: Primum feriâ II. proximâ post vigesimam diem Nativitatis; Secundum, feriâ II. proximâ post Dominicam quę est in medio Quadragesimæ. Tertium feriâ II post festum S. Petri. Quartum feriâ II. proximâ post festum Michaelis. Quilibet autem Legislator tenetur Placitum tenere semel in anno, in qualibet Contracta in suo territorio; Quod si pluries vult, hoc ejus arbitrio relinquatur: Et hoc intimari faciat per quatuordecim dies priusquàm velit Placitum habere.

CAPVT VIII.

De citationibus, & contumacibus.

QVandò quis de altero conqueritur, tunc oportet quòd conquerens, ad domum illius de quo conqueritur accedat, cum duobus domicilia habentibus, & citare eum ad Placitum, dicere q; sibi quid habet adversus eum; Quod si comparuerit in primo Placito, secundo, vel tertio ad respondendum pro se, experiundo pro jure, vel solvendo pœnam, benè est; Quod si non venerit, neque testes ejus impedimentum probantes, tunc mulctandus est III. marcis propter contumaciam, & Præses ex tunc statim XII. nominet qui reum accedant, & bona tollant pro pœna ad valorem III. marcarum; Atqui Actor procedat contra eum in primo, secundo vel tertio Placito de novo; Quod si nec tunc comparuerit non impeditus, tunc condemnetur in principali, & Præses nominet XII cum seipso & Exactore, ad compellendum ut Reus pareat judicato, & ad extrahendum III. marcas pro contumacia.

CAPVT

CAPVT IX.

De Reo comparente.

QVandò comparet ille cui aliquid objicitur, infra terminum à jure statutum, super illis causis in quibus est conveniendus, responsurus, & Actor non vult, nec fortè potest eum testibus convincere juxta decretum Præsidis, absolvatur tunc ille qui fuit citatus, & Actor in III. marcis condemnetur; Atqui testes ad probandum semel tantummodò admittantur in eadem causa.

CAPVT X.

De modo instituendi Placitum apud aliquem, & non facienda executione, visi causâ discussâ.

NOn potest Præses Placitum ad alicujus domum vocare, ad aliquid illi auferendum, nisi priùs XII. desuper sint testificati, utrùm sit legitimè citatus, & contra eum sit legitimè processum, vel non; Et omnes testes producti, jurent in eodem Placito quo debent testificari.

CAPVT XI.

De præsidentia Præsidis omni die juridico faciendâ.

PRæses in qualibet septimana præsidebit in Placito; Dies Placiti erit in qualibet Contracta die Dominico in loco Placiti, quià frequenter veniunt nuncij Regis, aut ejus litteræ; Sed non sit accessus ad Placitum in causis, nisi semel in hebdomada.

CAPXT XII.

De Reo convincendo per testes, & contestatione litis.

QVandò Actor potest testibus convincere illum quem citavit, in illo die quo sibi respondere tenetur, si tunc Reus negat, debet Actor nominare testes suos, & proximo Placito facere illos jurare, & testificari facere, seu examinari. Quod si non obtineat responsum antequàm Placitum jàm sit finitum, debet tunc in eodem Placito testes nominare, & facere nominari: Quod si sit causa talis propter famam exorta, & non potest testibus probari, & ille cui impingitur delictum semper negat, debet

bet tunc ille contra quem fama est, se obligare ad purgandum se, & in proximo Placito se purgare; Et nisi responderit in ultimo Placito tunc utrumq; faciat in eodem Placito, obliget se ad purgandum & purget se, vel habeatur pro convicto: Omnia juramenta & testium depositiones, fieri debent in die quo tenetur Placitum, & in loco Placiti.

CAPVT XIII.

De Reo comparente, Actore contumace existente.

QVod si ille comparuerit in Placito, qui se vult juramento purgare, & Actor non comparet, vel est præsens & non vult dare formam jurandi, juret tunc Reus, & tale juramentum censetur esse legitimè præstitum; Quod si quis vult tale juramentum annullare, jurabunt tunc III. quòd juramentum fuit legitimè præstitum, & posteà annullare volens non auditur, nisi Rex velit inquirere veritatem: Si quis autem mover causam aliquam in uno Placito, & in alio aliam, dicitur variare, & si cuiquam hoc improperatur, & VI. compurgatores eum purgaverint, sit immunis à pœna; Quod si non poterit se purgare, solvat Actori VI.

Oras; Posteà verò prosequatur causam, sicut in primo Placito proponebat : In hoc casu si se purgarit, vel non, sivè sit Actor, sivè Reus, sit idem jus.

CAPVT XIV.

De eo qui à pluribus est citatus.

QVandò unum plures ad Placitum faciunt citari, ad unum diem in quo Placitum tenetur, respondeatur tunc illi qui primùm citavit, & posteà unicuique prout citatus fuerat; Quià non potest unus nisi ad unam objectionem in uno Placito respondere, neque juramentum præstare nisi unum: Quod si quis dicat se priùs citasse quàm alius, debet tunc Præses illi primùm justitiam ministrare qui priùs vult alium convenire, & posteà alijs prout causæ se habent.

CAPVT XV.

De præsidentia quam facere tenetur, Præses.

OMni die juridico debet Præses, vel ejus locum tenens, ad Placitum venire in loco Placiti, vel solve-

solvere III marcas illi qui de eo conqueritur, & tunc Actor & Reus sint ejusmodi juris, sicut fuisset si Præses in priori Placito affuisset; Quià omnes legitimè probationes, & juramentorum delationes, debent secundum Sententias procedere.

CAPVT XVI.

De causis in quibus Præses allegat se jus ignorare.

QVandò aliquis venerit ad Placitum, & petit justiciam sibi ministrari à Præsidè, & si ostendit se nescire jus in illo casu, tunc potest causam suspendere, & deliberare usq; ad proximum diem juridicum, quo tunc tenetur Præses illi justiciam ministrare, vel solvere III. marcas, nisi juraverit se ignorare jus in illo casu, referaturq; tūc causa ad Legiferum.

CAPVT XVII.

De jurejurando, & quandò unus dicit esse juratum, & alius negat.

QVandò aliquis venerit ad Placitum juramentum delaturus, vel testimoniū facturus, quod si Actor, Exactor & Præses iuramētū remiserint, valeat tantū ac si jurasset, Quod si alter dicit juramē-

tum

tum esse remissum, alius non, probetur per VI qui in Placito fuerunt quid verum sit: Cuicunq; autem aliquid objcitur, in quo aut debet absolvi aut condemnari, hoc fiat in loco ubi delictum est commissum, & loco domicilij solvat pœnam.

CAPVT XVII.

De termino comparitionis post citationem.

QVicunque citandus est, si talis est extra Contractum, & tamen in Legiferatu seu Territorio, debet tunc citari coram parochianis in die festo, vel Placito; Et habeat terminum III. septimanarum ad comparendum postquàm fuerit legitimè citatus; Quod si extra territorium, & tamen in regno est, habeat pro termino comparitionis VI. septimanas, postquàm fuit legitimè citatus, & citetur ut superiùs est dictum.

CAPVT XVIII.

De executionibus Sententiarum, seu exactione pœnarum.

QVandò quis condemnatur pro suo delicto, Actor vadat ad Placitum, & hoc nunciet Præsidi, &

di, & Præses nominabit illi XII. qui accedant condemnatum, & bona immobilia ac gregem primò æstimabunt, quod si hæc non sufficiunt, æstimetur tunc frumentum & fænum, & si talia sint in domibus obseratis, & Reus non vult aperire, potest tunc impunè janua rumpi; Quod si neque ista sufficiant, æstimetur tunc domus: Quod si nec domus sufficiant, æstimabitur tunc ejus terra; Quod si nec illa sufficiat, tunc illa æstimetur à XII. prout in villa eadem carius vendi solet: Et quæcunque æstimanda est terra pro executione Sententiæ, potest tunc talis contra quem fit executio, redimere terram infra III. annos, secundum quod æstimata fuit: Quod si non potest, possunt tũc consanguinei infra idem tempus, & ille capiat agrarium qui eam tenet, & nihil defalcet in summa sibi debita: Quod si non redimatur infra III. annos, retineat tunc ille terram cui adjudicata fuit, & nemo habeat ex consanguineis jus reclamandi, vel redimendi: Quotiescunq; verò maritus sit pœnalis, semper pars uxoris priùs extrahatur tàm in bonis immobilibus quàm mobilibus; Sed si mulier deliquerit, & maritus fuerit condemnatus, solvatur tunc pœna de bonis mulieris.

CAPVT XIX.

De fugitivis & solutis, & quandò possunt captivari.

QVandò ille committit maleficium qui est vagabundus, & non haber quod perdere timet, & facit homicidium, vel vulnus infligit, vel rapinam exercet, accusetur tunc eum injuriam passus in uno, & posteà in alio, & deindè in tertio Placito; Si venerit talis & offert se ad standum juri, præsumitur pro eo; At si non comparuerit in quarto, tunc eo ipso habetur pro confesso & condemnato, qui se ipsum condemnat, & ad pœnam solvendam tenetur, juxta delicti vel maleficij qualitatem: Quod si non habet domicilium, tunc conveniatur ibi ubi maleficium vel delictum est commissum; Postquàm verò est ità condemnatus, permaneat tunc apud Actorem per unum annum pro quibus liberet III. marcis quas solvere tenebatur; Et eodem modo satisfaciat pro pœna debita Regi, & posteà sit liber à pœna Contractæ debita; Quod si fugerit, solvat III. marcas quotiens hoc fecerit, & serviat per unum annum ultrà, quàm priùs servire tenebatur.

Quod si ille fugerit qui delictum aliquod commisit, & injuriam passus eum apprædendere tentat, & si contingat illum fugitivum cædi, hoc potest impunè

punè fieri, nisi mors sequatur, tunc est pœna homicidij XX. marcarum, ad tertiam divisionem applicandarum, & sic capiatur sine metu pœnæ; Quòd si injuriam passus non vult illum captivare, faciat tunc hoc Exactor & Præfectus regius, aut ille cui pœnę Regales ex aliqua concessione debentur: Actorem verò talē in nullo molestat, si ille qui delictum commiserat, fugit quandò adhuc est in illius servitiò cui fuerat condemnatus: Quicquid autem talis agit vel patitur, est judicandum sicut de libero homine judicatur in pœna soluenda.

CAPVT XX.

De habente domicilium quandò propter delictum fugit.

QVandò domicilium habens committit in Legem, & parat fugam, sit caussa qualiscunq;, si per se vult stare juri in nullo puniatur; Quod si nō vult, procedat tunc contra eum Actor in illa caussa, & executio fiat per Præsidem, & alios in Contracta ad solutionem pœnę, & quilibet partem suam accipiat, qui in caussa particeps est: Quidquid verò sic tollitur ab aliquo per sententias & rationes, si judicabitur posteà restituendum, restituat tunc unusquisq; prout cæperit cum juramento; Nec tales punientur pœnâ raptorum, quià recipiebatur per sententiam & rationem.

CAPVT XXI.

De gravato in executione.

QVod si quis dicat se gravatum fuisse in executione, quià æstimatores plus cœperunt quàm pœna fuit, standum est tunc juramento æstimatorum, qui æstimatores jurabunt se non plus extraxisse quàm pœna poscebat.

CAPVT XXII.

De executione ubi æs alienum est in bonis Rei.

QVandò ille contra quem debet fieri executio, habet intùs secùm agrarium vel decimas, hujusmodi non æstimetur pro pœna; Quod si plures cum eo in bonis communicant, vel habent in depositum, vel societatem in grege cum aliquo contractam in præsentia testium, hoc non cadit sub æstimationem pro pœna, sed est segregandum, & deindè mulcta extrahenda.

CAPVT XXIII.

De modo exequendi, quandò executores debent fieri.

QVandocũq; est facienda executio contra aliquẽ, tunc debent æstimatores intrare domum Rei, & æstimare de bonis pro unoquoque litis consorte quod illi debetur, & relinquere partem principalis Actoris, donec partem suam requirat.

CAPVT XXIV.

De pœna XII. Assessorum nolentium absolvere vel condemnare.

VBi duodecim Assessores judicij tenentur unum collitigatorum absolvere, & alium condemnare, & id non faciunt in eodem Placito, solvat quilibet ipsorum III marcas, nisi illi XII. qui Regis judicium præferre debent, jurant causam non satis manifestam, ideòq; sequenti Placito dijudicandam: In omnibus verò probationibus, juramentis & testimonijs, debent esse viri domicilia habentes.

CAPVT XXV.

De præconizatione quæ fit per bacillum, vulgò Budkaffla.

QVandò nuntius Regis venerit, aut litteræ Regis, Præses intimationem faciat in Contracta, emittendo Budkaffla, vel quandò furtum est in Contracta commissum, vel homicidium sit factum, aut

quis deprænhenditur cum alterius uxore, vel mulier violatur, vel aliquis ab ecclesia extrahitur violenter, vel à cœmiterio qui ibi potuit immunitate gaudere.

Signum id scilicet **Budkaffle**, quod facit Præses in qualibet trium partium Contracta, debet procedere & non retrocedere; Vidua autem non obligatur ad transferendum tale signum, nisi habeat filium qui XV. compleverat annum: Quod si signum illud allatum fuerit ab oriente in villam, exeat ab occidente, & si à meridie, ad septentrionem vadat.

Omnes verò obligati sunt ad transferendum illud signum, tàm tributarij quàm coloni, & semicoloni, sive sint liberi à tributo, sivè non, & sivè coloni sunt eorum qui liberi censentur, sivè eorum qui libertate fruuntur: Quod si qui contendant, & alius dicit signum illud allatum, alius negat, præsumitur pro illo qui dicit signum allatum cum duobus testibus, & idem sit de illo juramento sicut de alijs. Qui deniq; procurat quòd signum tale rectâ viâ non vadat, aut supprimatur pro Legifero vel Præside, solvat III. oras; Sed qui hoc facit impediendo nè Placitum fiat, cùm venerit nuncius Regis, solvat similiter III. oras.

CAPVT

CAPVT XXVI.

De objectione quam facit Exactor contra aliquem.

QVandò Exactor objcit alicui quòd vulnus inflexit, vel sanguinem fudit, aut aliàs verberavit, aut qualecunque crimen objciat, & Reus dicit se occultè contentasse illũ cui damnum intulit, at ipse negat, si Exactor habet II. testes idoneos qui hoc volunt jurare, quòd id visum & declaratum in eodem die, habeat Exactor idem jus convincendi Reum sicut Principalis; At ille Principalis jus perdat quod habuit, & qui deliquit solvat pœnam tàm Regi quàm Contracte: Quod si Exactor non potest probare, ut est dictũ, Principalis in nullo condemnetur.

CAPVT XXXII.

De desistente ab agendo.

QVandò Actor venit ad Placitum, & alteri aliquid objcit, ac posteà desistit à persecutione caussæ, prosequatur tunc Exactor, & ibi Actor tacendo suum jus perdit.

CAPVT

CAPVT XXVIII.

De Assessoribus judicij seu Nemdariis Regiis.

CVm Rex vult videre Nempdarios suos, debet tunc Præses nominare XII. ex Contracta, pro medietate nobiles liberos, & pro reliqua medietate tributarios, in quos consentiunt litigatores & homines de Contracta; Præses autem debet veridicos nominare & non mendaces, aut lites habentes, vel voluntariè favorizantes, & Præses pro se debet esse unus de Nempdarijs, & nemo alius in ejus loco, nisi impedimentum habeat, ut priùs est dictum. Quandò nominatur aliquis in Nempdarium in Placito præsens, & non vult intrare, solvat III. marcas tributarius, & liber VI. marcas.

CAPVT XXIX.

De exceptionibus contra Nempdarios faciundis.

QVandò Actor, aut Reus suspectum habet aliquem de Nempdarijs, debet suspectus surgere, & alius ejus loco deputari donec causa terminetur; Quem deindè illi XII. condemnaverint vel absolverint, pro tali inviolabiliter habeatur, & Con-

& contra illam Nempdam nemo potest appellare, nisi appellare velit priusquàm juraverit, & non admittitur per juramenta, neq; aliam Nempdam contra hanc inducere potest.

CAPVT XXX.

Qualiter & quandò est à Nempda appellandum.

QVandò quis vult à Nempda appellare priusquàm juraverat, ponat tunc in vadium Actor VI. marcas, & quilibet de Nempda marcam unam, de quibus VI. accipiat Rex, & VI. apponentes; Quod si appellans succubuerit, solvat VI. marcas, III Regi, & III. Nempdarijs; Omnes verò testes coram Rege, vel Legifero, aut Præside seu Nempdarijs producti, debent jurare super omnibus in quibus testificantur, & rogare Deum sic sibi esse propitium, sicut ipsi velint verum testimonium perhibere in illa causa: Quòd si tales testes reprobantur in judicio Regis, solvant tunc III marcas dividendas in III. partes, & nunquàm posteà erunt capaces facultate placitandi, jurandi aut testificandi; Sed vitentur tanquàm infames, & subeant pœnitentiam, excludanturq; ut perjuri ab Ecclesia, & solvant Episcopo III. marcas.

CAPVT XXXI.

Quandò Nempdarij non ſunt concordes, quòd ſtandum ſit ſententiæ majoris partis.

QVandò Nempdarij non concordant, quem VII. ex illis abſolvunt, ſit abſolutus, & quem condemnant, ſit condemnatus; Quod ſi illi XII neque volunt abſolvere, neque condemnare antequàm Placitum diſſolvatur, ſolvat tunc quilibet de Nempda III. marcas, in tres partes dividendas Regi, Contractæ & Actori.

CAPVT XXXII.

De expenſis pro Nempdarijs faciundis.

QVandò Nempda talis eſt habenda, debet tunc Præfectus regius illis providere de expenſis; Illi quidem qui judicium Regis habet cum VIII. equis, Cancellario cum III. equis, Præfecto cum V. equis: Præſes autem provideat de expenſis Legifero cum VIII. equis, & cuilibet Armigero de Nempda cum II. equis, cuilibet tributario de uno equo; At pro eo quòd Præſes debet hujuſmodi expenſas facere, levabit omnes mulctas, quilibet in ſua Contracta.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Quandò appellandum eſt à Sententia Legislatoris vel Præſidis?

CVm Legifer, aut Exactor Sententiam protulerit, & condemnatus vult appellare, debet tunc appellare in eodem Placito ubi Sententia fuit lata, & poſteà ſublata eſt illi poteſtas ab illis appellandi.

CAPUT XXXIV.

Qualiter appellatur à Præſide.

QVandò quis appellat à Præſide, ponat in vadium XII. oras, & Præſes III. marcas ad Legiferum; Si ſuccumbit appellans, capiat Præſes mediam marcam, mediam Actor, Legifer & Contracta mediam: Quod ſi Præſes ſuccubuerit, tollat unam marcam appellans, aliam Legifer, tertiam Contracta.

CAPVT XXXV.

De appellatione Præſidis, vel alterius à Legifero.

QVandò Præſes vel alius appellare vult à Sententia Legislatoris, ponat Præſes, vel alius

in vadium III. marcas, Legifer autem VI. marcas; Quod si succumbit Præses, aut alius appellans, tollat Legifer marcam unam, aliam Rex, tertiam Contracta; Quod si Legifer succubuerit, tollat tunc appellans II. marcas, II. Rex, & II. Contracta.

CAPVT XXXVI.

De pœna violantis Sententiam Præsidis.

QVi violat Sententiam Præsidis, solvat III. marcas, pro Sententia Legiferi VI. marcas: Istæ autem caussæ debent terminari per Nempdam de Contracta, videlicet quandò agitur de juramento regio violato, vulgò Edzöre, & caussæ capitales quandò quis venit vitâ plectendus, vel agitur simul ad perditionem vitæ & bonorum, aut de homicidio clandestino, vel ejus pœna, seu rapina, & si sint majores vel minores caussæ; Omnes etiàm caussæ super violationibus Sententiarum tàm Legiferi quàm Præsidis, nisi subjaceant Nempdæ regali.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

De examine & veritatis inquisitione per Regem reiteranda.

REx potest de veritate inquirere, & ipse potest retractare malè examinata, & quæcunque gravamina cognoscere; At Legifer debet caussas per Leges decidere, nullusq; innocens damnetur ad pœnam, & nemo bis pro eodem facto puniatur.

CAPVT XXXVIII.

De judicio Regio, quod Ráfft *vulgò appellatur.*

QVandò Rex vult generalem inquisitionem, de administrata justicia facere per totum regnum, vel qui ejus autoritate fungitur, debet tunc hoc Rex protinùs intimare in quolibet territorio, per VI septimanas priusquàm id facere velit; Omnes tunc veniant ad proponendum querelas contra illos, qui ipsos injustè læserunt; Postquàm autem sunt lectæ litteræ Regis in primo Placito, vel apud Ecclesiam ubi non est Placitum, debet quilibet suum adversarium citare intra XIV. dies, Rex vel illius vicem gerens nihilominùs ad judicandum procedet, licet non ille contra quem proponitur

querela fuerit præsens: Hoc tenetur autem Rex intimare omnibus per suas litteras, quandò vult talem reformationem seu talę Placitum facere, ut dictum est, & tunc non eo minùs, quòd quis venire recusat, debet Rex vel ejus vicegerens justiciam ministrare in omnibus caussis, ut jam est dictum, ac si talis comparerer, nisi legitimum subsit impedimentum.

LIBER

LIBER NONVS
DE
JVRE APVD SVEONES GOTHOSQVE VIOLATI
Jurisjurandi Regij.

CAPVT I.

De violantibus immunitatem domesticam.

SI quis equester vadit ad alium vel pedester, animo quòd velit patrem familias, vel aliquem de ipsius familia, vel aliquem in ipsius domo hospitem, vel alium qui ad ejus domum confugerit compulsus, cùm Curiam intraverit vel invaserit percutiendo, occidendo, mutilando, vel vulnerando notabiliter, aut leviter, vel ut appareat livor, vel sanguinis effusio, quicunq; in ipsius comitativa fuit, pœnam violati juramenti Regij incurrit.

CAPVT

CAPVT II.

De fugiente, vel prosequente in alicujus domum aliquem.

QVandò quis fugit suos inimicos ad alicujus domum, & in fuga læditur, & qui sequitur projicit, aut sagittat undè mors sequitur, aut vulnus notabile, sanguinis effusio, vel livor, & hoc contingit fugienti postquàm intraverit curiam illius ad quem confugit, vel ejus fundum, tunc ille, & omnes qui sunt cum eo, incidunt in pœnam violati juramenti Regij.

CAPVT III.

Quantum quis clauserat cum domibus & sepibus fundi sui, tantum gaudet immunitate.

QVantum quis comprehenderat cum domibus & sepibus de fundo suo, tantum gaudere debet immunitate pro eo, & omnibus suorum; Hoc etiàm extenditur ad balneatorium, quod est extra septa fundi, & similiter ad fabricam, privetum & horreum : In ijs enim domibus gaudet quis immunitate sicut in fundo, vel curia & agro, ideoq; qui ibi quempiam offenderit, cadit in pœnam violati juramenti Regij.

CAPVT

CAPVT IV.

Quandò læditur quis fugiens, priusquàm ingrediatur fundum.

QVod si fugiens læsus fuerit in fuga, priusquàm intraverit fundum illius ad quem fugit, vel curiam, non incurrit cædens pœnam violati juramenti Regij.

CAPVT V.

De illo qui animo lædendi intrat curiam, & neminem lædit.

QVod si quis ad aliquem accesserit animo aliquem lędendi, nec tamen quempiam percutit ad sanguinis effusionem, nec verberat, nec occidit, tunc pro tali non punitur, quià commination nullam secùm pœnam trahit : Quod si rumpit ostia, lædit hominem, vel trudit citra sanguinis effusionem, solvat III. marcas, vel purget se manu sextâ, priusquàm Nempda eum à pœna violati juramenti Regij excuset.

CAPVT VI.

Quandò ille læditur qui vim vult inferrè.

QVandò ille læditur ad ſanguinis effuſionem, vel livoris aparitionem, vel occiditur qui vult violentiam inferre, tunc omne quod ille patitur id impunè patiatur : Quod ſi aliqui fugiendo præcedunt, quicquid ipſis in curia aut fundo infertur, pro nullo æſtimetur: Quod ſi litigantes contendunt in porta, ſeu cancellis ſepium, & ſi pedes inveniantur infra portam ipſius qui vim intulit, nihil pro pœna ſolvatur; At ſi pedes inveniantur ab extra & caput intra, pro tali occiſo ſolvatur pœna, quià indè caput cecidit, ubi occiſus pedes fixit,

CAPVT VII.

De vulnerato in fuga à curia ſua

QVod ſi ille exeat de domo ſua ad quem tales invaſores veniunt, & ille aliquem percutit, occidit aut vulnerat, ſolvat pœnam ſecundum Leges municipales; Quod ſi ipſe percutiatur aut vulneretur, vel occidatur, ſolvat & ille pœnam ſecundum Leges prædictas: Quod ſi ille qui alium invadit vulneretur aut occidatur, nulla pœna per hoc incurritur, & ille qui nullum damnum intulit non cadit ſub banno, nec ejus bona confiſcabuntur.

CAPVT VIII.

De iis qui ut amici conveniunt, & poſteà contendunt.

QVandò aliqui conveniunt amici, & ſeparantur inimici, ibi quis non cadit in pœnam violati juramenti Regij, ni exeat de domo poſtquam cōmotus eſt, & afferat ſibi arma & adjutores, ac poſteà revertatur in curiam, & percutit, vulnerat aut occidit, tunc ille, & omnes qui cum eo fuerunt, commiſerunt delictum juramenti Regij violati: Cedit tunc injuriam paſsis oblatio pro concordia, & poſſeſſori fundi tertia pars de rebus confiſcatis; Ac quandò ſatisfecerat injuriam paſsis, & illi intercedunt pro eo, debentur tunc Regi XL. marcæ pro reſtitutione ad ſtatum priſtinum : Sed ſi moritur Bannitus priuſquàm reſtituatur, ſolvant tunc hæredes ejus pœnas Legis, ſivè ſit homicidium, ſivè vulneris inflictio, injuriam paſsis, & non alijs.

CAPVT IX.

Quandò violentia fit in domo coloni.

SI quis quempiam insequatur in curia coloni, vel in domibus ejus, vel qui habet ejus domos cõducta s aut accommodaras, & talis, vel aliquis de ejus familia percutitur, occiditur, vulneratur leviter vel graviter, & sanguis effunditur, tali tunc debetur tàm confiscatio, quàm pœna pro vulnere, nec impetret ipse pacem Reo.

CAPVT X.

De eo qui violentiam infert, si ipse vulneretur.

QUandò autem insequens alium in curia coloni, vulneratur graviter vel leviter, tunc injuriam passo debetur impetratio pacis, & pœna solvatur pro vulnere, possessorq; fundi tollat tertiam partem confiscationis.

CAPVT XI.

De eo qui vindicat post litem terminatam, & pœnam solutam.

QVi vindictam sumit postquàm judicatum est, & pœna soluta, incidit in pœnam juramenti Regij

Regij violarit, & Nempda cognoscat an inter illos exorta fuit alia dissensio vel non.

CAPVT XII.

De eo qui vindictam sumit, postquàm pro ea solvenda sunt fidejussores dati.

NOn potest quis vindictam sumere, postquàm de pœna solvenda emendatio est promissa, sine incursu pœnæ violati Regij juramenti, nisi fidejussores non sunt dati, & fuit in concordia dictum, ut si non darentur infra terminum præfixum, posset vindicta sumi: Quod si fidejussores sunt dati, illos moneant hæredes, & non possunt vindicare; Quod si quis vindicat fidejussoribus datis, incidit in pœnam violati juramenti Regij: Quandò denique aliquid est solutum de pœna, tunc neq; potest sumi vindicta, sed per juris ordinem exigatur.

CAPVT XIII.

De vindicante sede altero, quàm illo qui delictum commisit.

QVandò alius est qui delictum commisit, & alius de quo sumitur vindicta, tunc sic vindicans

cadit in pœnam violati Regij juramenti : Cognoſcat autem Nempda Contractæ utrùm vindicavit in illum qui delictum commiſerat vel alium, & cognoſcat an ex illa lite quæ priùs fuerat inter illos, vel ex nova cauſſa ſuſcepit vindictam, & tunc non incidit in pœnam prædictam.

CAPVT XIV.

De violantibus mulieres.

VIolans mulierem incidit in pœnam juramenti Regij violati, quod ſi appareat in ea, vel ejus veſtimentis quòd mulier iſta rupit, vel in veſtimentis mulieris, aut audita eſt vox mulieris auxilium petentis, Nempda cognoſcat quid in hoc ſit verum; Quod ſi vir aggreditur mulierem, & opus carnis non perficit, voxque mulieris clamantis auditur, incidit nihilominùs in eandem pœnam: Quod ſi quis mulierem violat, & deprehenditur in flagranti crimine & captivatur, & XII hoc teſtificantur, ac per eos convincitur, adjudicandus eſt tunc ultimo ſupplicio, gladioque capite plectendus. Quod ſi violare attentantem mulier occidat, & hoc XII teſtificentur, nulla indè pœna ſequetur.

Quod

Quod ſi quis mulierem rapuerit, & extra Regnum fugiendo perduxerit, pacem Regiam non recuperabit, ſi de hoc fuerit legitimè convictus, priuſquàm Tutor mulieris interceſſerit pro eo.

CAPVT XV.

De inſidiatoribus.

CVm quis ponit inſidias in via ad Placitum, vel Eccleſiam eunti alicui, volendo ipſum occidere, percutere, aut vulnerare, priuſquàm ad Placitum vel Eccleſiam perveniat, & horum aliquid facit, incidit in pœnam de qua in hoc libro tractatur.

CAPVT XVI.

De illis qui in via incipiunt contendere.

SI lis oriatur inter aliquos in via ad Placitum vel Eccleſiam euntes, & tamen non ex antiqua invidia, & alter ab altero occiditur, tunc non incurritur pœna hujus libri, ſed alia à Lege ſtatuta: Quod ſi inſidias ponit quis in via ad Eccleſiam vel Placitum eunti, & non infert aliquod nocumentum, licet vellet, tunc non incidit in hanc pœnam; Quià talis conatus quem non ſequitur effectus, non eſt pœnalis : Si tamen ſcidit veſtimenta, aut alterius arma ſagittat, vel trudit in via ad Eccleſiam,

vel

vel Placitum, & non apparent signa sanguinis, purget se tunc sextà manu, vel solvat III. marcas.

CAPUT XVII.

Quandò conflictus sit in Placito, vel Ecclesia.

QVod si quis alium occiderit, percusserit, vel livorem intulerit in Placito, aut Ecclesia, debetur tunc supplicatio pro delicto, occisio, vel vulneratio, nisi sit casualiter factum; Quià ibi omnes gaudere debent immunitate & pace.

CAPVT XVIII.

De illis qui invadunt redeuntes ab Ecclesia, vel Placito.

QVandò quis redeuntem in domum suam ab Ecclesia vel Placito vulnerat, vel quid aliud committit in illum, incidit in pœnam in hoc libro expressam qui talia committit, nisi hoc fiat ex inconsulto calore.

CAPVT XIX.

De facientibus moram in via, eundò ad locum ubi cerevisia venditur &c.

SI rediens de Ecclesia vel Placito, & priusquàm domum revertitur, divertit ad locum ubi venditur

ditur cerevisia, vel alium locum & sic ab inimicis suis occiditur, in hoc casu pœna violati Regij juramenti non incurritur.

CAPVT XX.

De fugante aliquem quandò juridicè contra eum quis procedit, vel aliquam exemptionem facit.

QVandò quis alterum fugat, pro eo quòd proceditur, vel juridicè fit executio contra eum, non tamen vulnerat, aut signa sanguinis apparent, seu livor, solvat XL. marcas parciendas ut priùs, & non incidit in pœnam hujus libri; At hoc cognoscat Nempda Contractæ, si compellebatur fugere, vel voluntariè fugit, aut fugavit eum quià ad Placitum citavit; Immunitate enim gaudebit citans à domo sua, usq; ad citandum, & ab eo usque domum: Quod si quis occiditur, percutitur, vel vulneratur leviter, vel graviter quià citavit ad Placitum, vel aliam executionem justiciæ fecit, tunc qui talia committit, incidit in pœnam hujus libri, videlicet violati juramenti Regij.

CAPUT XXI.

De mutilante.

SI quis alium ducit ad arborem, truncum, vel alium locum, & amputat illi manus vel pedes violenter, tunc talis & omnes qui cum eo fuerunt, incidunt in pœnam violati Regij juramenti; Et illi supplicatio fiat pro restitutione à banno, qui occiditur vel vulneratur, vel hæredibus suis: Sed si hoc accidat manu armatâ utriusq;, non incurritur pœna hujusmodi, quæ dicitur vulgò Edzörc.

CAPVT XXII.

De vindicante se contra Sententiam Regis.

SI quis vindictam sumit contra Sententiam Regis, occidendo, vulnerando pleno vulnere, quià testificatus contra talem, undè secuta est Sententia Regis; Vel vindicat se de eo postquàm introduxerit caussam contra eum; Vel quià defendit bona paterna juridicè; Quod si propterea vindicat, tunc ille, & omnes qui cum illo fuerunt, incidunt in pœnam de qua in hoc agitur libro, cognoscatque tunc Nempda, si propterea vindicavit, vel alia lis fuit inter ipsos orta.

CAPVT

CAPVT XXIII.

De extrahente aliquem violenter de domo suæ.

SI quis aliquem violenter extrahit de domo sua seu curia, & violenter eum abducit (licet non rumpit ipsius domos) vel vulnerat aliquem de curia veniendo, & posteà ligat vinciendo, vel occidit aut vulnerat graviter, aut in compedes ponit, vel qualitercunq; eum captivum teneat, tunc incidit in pœnam violati juramenti Regij, nisi fit executio Sententiæ Regalis, vel fiat ex mandato illius, qui jurisdictionem Regiam habet, vel probatur contra ipsum clarum furtum, vel invenitur in ejus domibus res furtiva, cùm latrocinia quæruntur.

CAPVT XXV.

De pœna violati juramenti Regij, & divisione pœnæ ejusdem.

QVandò committitur pœna de qua in hoc agitur libro, tunc quotquot sunt in comitativa, perdunt omnia quæ habent supra terram, & sunt banniti in toto regno, bonaque eorum dividenda in tres partes, una pars cedit possessori fundi, in quo maleficium est commissum, alia Regi, tertia Contractæ, ut est priùs dictum;

Sed non applicatur ad hanc pœnam portio debita filijs, neq; portio uxoris, & nullius alterius qui cum ipsis bona habet commixta; Sed talia bona separãda, sicut etiàm debita priùs solvenda ex indiviso, quæ contraxit delinquens ante delictum commissum; Quià nullus potest bona alterius in periculum ponere propter propria delicta, sed quilibet seorsùm solvat pœnam pro sua culpa.

CAPVT XXV.

De illo qui retinet Bannitum in præjudicium alterius.

QVi retinet bannitum in domo sua in alterius præjudicium, incidit in eandem pœnam in qua est ipse bannitus, si quod nocumentum infert; Et Bannitus puniatur secundum delictum per eum commissum, ac Nempda Contractæ cognoscat quid in hoc sit verum.

CAPVT XXVI.

De tempore durationis banni.

QVi banniti sunt in banno permaneant, donec ille interceſſerit pro eis contra quem deliquerunt

runt, vel ejus hæredes; Et quandò illi intercedunt pro illis, tunc Rex tenetur eos in gratiam suscipere, vel jure Regis fungens, ille potest eis pacem dare, sed solvant XL. marcas, quæ cedant Regi tantùm.

CAPVT XXVII.

Nempdæij de Contractâ ubi crimen commissum est, sunt ordinarij in cognoscendo.

OMnes causſas in quibus incurritur pœna violati Regij juramenti, cognoscere debent illi, qui sunt de Nempda Contractæ, ubi crimen est commissum.

CAPUT XXVIII.

De publicatione Bannitorum.

PRæses Contractæ debet in Placito condemnare ad bannum, & illos ibi enunciare; Quod si dicit illos se enunciare nescire, debet tunc præfigere alium diem, & interim veritatem inquirere, posteàq; in die ad hoc præfixo illos coram Nempda enunciare, & illi sunt in banno quos enunciat: Nec sit alicui licitum se purgare in illis casibus, ubi Nempdæ de Contracta incumbit cognitio.

CAPVT XXIX.

De Actore non potente teſtificari.

QVi damnum aut injuriam paſſus eſt, non poteſt teſtificari aut Sententias exequi, vel citare contra illum qui damnum dedit priuſquàm Nempda ipſum condemnavit aut abſolvit, Sèd debet ire ad Placitum & notificare caſum, & poſteà debet cauſſa ſtare in illo ſtatu uſque ad Sententiam Regis, quæ vulgò Räfft dicitur: Quandò verò Nempda condemnat aliquem ad pœnam in hoc libro expreſſam, non poteſt fieri executio priuſquàm Reus eſt bannitus; Quod ſi Nempda ipſum abſolvit à pœna prædicta; poteſt tunc executio fieri contra Reum, ſivè ſit homicidium, ſivè vulneratio gravis vel levis; Et poteſt ille etiàm contra quem agitur, purgare ſe ſuper ijs quæ ſibi objciuntur, poſtquàm eſt cognitum quòd non incidit in pœnam violati Regij juramenti: Omnes deniq; pœnæ violati Regij juramenti, de quibus in hoc agitur libro, quæ Regi debentur, debent terminari injudicio Regio, Räfft vulgariter appellato.

CAPVT

CAPVT XXX.

De unico qui poteſt incidere in pœnam hujus libri, & executionem facere.

VNus poteſt incidere in pœnam violati juramenti Regij, & unus poteſt executionem facere: Non tamen poteſt aliquis executionem facere pro pœna tollenda, niſi priùs fuerit cognitum, utrùm pœnam talem quis incurrebat.

CAPVT XXXI.

De muliere & minorenne, qui non incidunt in pœnam hanc.

MVlier aut minorennis non incidunt in pœnam de qua in hoc agitur libro, quià non bäniri poſſunt: Et minorenni ſi hoc objciatur, cognoſcat tunc Nempda, & juret quòd nõ eſt XV. annorũ, & puniatur prout in libro de vulnere inflicto determinatur.

CAPVT XXXII.

De violentia quæ fit in agro vel prato.

QVandò quis animo malo accedit alium in agro in vere, aut in prato & agro in autumno, & quempiam occidit, eſt tunc pœna duplata pro occiſo & tota ejus familia; At quidquid ille patitur qui acceſsit, pro nihilo æſtimatur.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

De tormentato & mutilato sine judicio.

QVandò accidit quòd aliquis injustè decolletur, suspendatur vel rotetur, tunc ille qui talia facit, puniatur eodem jure, quo ipse punitus.

CAPVT XXXIV.

De eo qui ligatur tanquàm fur, & non est cum eo aliquid deprehensum.

QVandò alicui impingitur quòd furtum commisit, vel sit causa qualiscunque, si talis capitur & ligatur, ac tormentetur non convictus, nec est aliquid palàm in ejus manibus inventum, & sine judicio Regis, vel ejus qui ipsius potestatem habet, qui talia facit, incidit in pœnam violati juramenti Regij: Nec hoc casu accipiantur XL marcæ, ut olim fiebat; Quià quilibet debet gaudere libertate & pace in bonis suis & peculijs, ac maximè in proprio corpore & vita.

CAPVT

CAPVT XXXV.

De mandante aut conducente ut maleficium committatur.

QVi alteri mandat, aut alium conducit ut maleficium committat, ad percutiendum, vel aliam rem prohibitam faciendam in alium, debet eadem pœnâ puniri, quâ punitus fuisset si id per se fecisset.

CAPVT XXXVI.

De castrante aliquem, vel oculum eruente.

SI quis alium capit violenter, & in terram projcit, castratque sicut aliud pecus, vel eruit ejus oculos, aut dentes evellit de capite, vel præscidit linguam, nasum, aut aures, vel pedem, aut manum, aut ambos pedes, qui talia facit & quicunq; cum ipso in comitativa fuerunt, cadũt in pœnã violati Regij juramẽti; Et quicunq; est Actor in casu, sive sit patiens, sivè sint ipsius hæredes, habebit cõfiscationẽ bonorũ, & multã pro vulnere, & supplicationẽ pro restitutione ad pacẽ, & pœnã juramẽti Regij violati; Atq; ille in cujus domib. talia fiunt, si deprehenditur in recenti, potest capi & ad Placitũ duci per ejus cõsanguineos, vel ad

redemptionem admitti, si ipse vult, vel membrum pro membro quale perdidit, tollere, vel vitam illi auferre impunè: Quod si autem hoc fiat manu armatâ utriusq;, & non ex tali violentia, tunc non incidit in pœnam violati juramẽti Regij, sed solvat pro pœna velut in libro de vulnere inflicto definitur: Quod si alicui simile impingitur, & non est captus in recenti, debet tunc Nempda Contractæ, (quæ omnes pœnas Casuum Capitalium debet determinare in illa Cõtracta, ubi delictum est commissum) eum absolvere vel condemnare; Quod si condemnat eum, sit ut priùs est dictum; Quod si absolvit, in nullo puniatur.

CAPVT XXXVII.

Non confiscentur bona, nisi quis sit legitimè convictus.

NVllius bona confiscentur, nisi priùs sit legitimè convictus ad pœnam violati juramenti Regij: Nec potest eum aliquis capere, vel occidere infra diem sibi præfixum in Placito, quandò juratur incidisse in pœnam violati juramenti Regij, nisi quis pro eo pœnam solvat, & rejunet velut pro alio homine innocente, & habebit talis Ecclesiasticam sepulturam; Nec possunt ejus bona distrahi postquàm illi tali objicitur, quæ subjacent pœnæ prædictæ.

CAPVT

CAPVT XXXVIII.

De Bannito occiso.

CVm quis occiditur ab Actore, vel ab aliquo alio in regno, postquàm est bannitus juratus, & terminus datus à Lege exspiravit, nulla pœna pro eo solvatur; Et talis nec apud Ecclesiam, nec apud Regem alicujus æstimationis censeatur, nisi terminum habeat legitimè datum à Rege.

CAPVT XXXIX.

De Bannito extra regnum occiso.

QVandò aliquis bannitur ut extra regnum vadat & postea extra regnum occiditur, vel extra capitur, & per vim in regnum portatur, ac postea occiditur, tunc pro eo debet pœna solvi & jejunari, sicut pro alio innocente occiso, & funus ejus in cœmiterio sepelir.; Quià non potuit in pluribus regionibus bannitus esse, & securitatem suam perdere, nisi in illa regione ubi delictum commisit: Nec debent pro pœna, de qua in hoc libro agitur, domus mulieris quæ in ejus fundo stant, applicari vel confiscari; Quià secundum Leges nostras cùm nuptiæ fiunt, non quæritur jus viro in bonis mulieris im-

mobilibus, aut domib: desuper erectis, neq; in piscaturis; Neq; mulieri jus quæritur ad illa in bonis viri, sed in omnibus alijs bonis immobilibus; Neq; quid commune alicujus communitatis est confiscandum, quià computatur pro bonis mobilibus.

CAPVT XL.

De tutela bonorum Bannitorum.

BOna Bannitorum debent habere Legifer & Præses Contractę, ità quod illorum officiales ponāt, qui redituum coram ipsis computum faciant, ut nihil levetur, nisi ad solvendū debita Banniti, quæ habuit priusquàm bānitus fieret; Quod verò supersit, detur pauperib. pro anima ipsius, ac Ecclesijs & Monasterijs, in illum diem quo restituitur ad pacem, vel si est mortuus, habeant tunc illa bona hæredes.

CAPVT XLI.

De raptoribus.

SI quis equester alium accedit cum plena violentia, ac rapit ab illo jumentum ungulatum, vel quodcunq;, mortuum vel vivum, cognoscat Nempda de eo quid sit verum; Quod si Nempda defendit illum, non puniatur; Sed si condemnat, restituat juxta juramentum Actoris quod accepit, & insuper solvat

solvat XL marcas, tribus partibus applicandas; Ac quiliber qui fuit in comitativa solvat III, marcas applicandas ut priùs.

Quod si quis rapit ab alio minùs quàm oram, solvat III oras, vel purget semet tertius; Quod si quis rapit ab alio ad valorem unius oræ, & plus minùs tamen quàm mediam marcam, solvat III marcas applicandas ut priùs, & restituat rapinam, si tamen ille qui agit, potest eum convincere V testibus, & ipse sit sextus; Quod si nō potest illum cui crimen imponitur, convincere, tunc purget se duodecimâ manu, & solvat ut priùs est dictum: Quod si quis rapit mediam marcam vel plus, cognoscat tunc Nempda de Contracta, in quam ambo consentiunt, quid in hoc sit verum, quantaq; fuit ipsa rapina; Quod si absolvit illū cui caussa rapinę impingitur, sit absolutus; Quod si condemnat, restituat rapinam, & insuper solvat XL. marcas applicandas ut priùs.

CAPVT XLII.

De raptoribus vagantibus in sylvis, aut navigantibus.

SI quis jacet in sylva, vel navi, vel alibi, & dat se ad hoc ut rapiat, si talis capitur in tali delicto, debet tunc ad Placitum duci, & ibi protinùs nominen-

minentur XII. qui ipsum condemnent vel absolvant; Quod si ille condemnatur cui raptus imponitur, tunc adjudicetur gladio puniendus; Quod si absolvitur, solvat XL. marcas qui innocentem ligavit, violenter duxit, & non incidat in pœnam violati juramenti Regij.

CAPVT XLIII.

De rapina pomorum in pomarys, & homicidio ea propter commisso.

SI quis intrat alterius pomarium clausum, & capit poma, vel alium fructum violenter, & ejus familia adest volens defendere, fitq; ibi conflictus, & paterfamilias occiditur, vel aliquis de ejus familia, vulneratur graviter vel leviter, ibi inciditur in pœnam violati juramenti Regij; Sed si ille qui violentiam infert occiditur, vulneratur graviter vel leviter, nulla exindè pœna solvatur: Quandò denique fur vel latro, vel alius malefactor capitur, tunc Placitum mox instituatur.

LIBER DECIMVS
DE
JVRE SVECORVM
Gothorumque circa Pœnas Capitales.

CAPVT I.

De homicidio occulto.

SI quis occisum à se occultaverit, sivè vir sivè mulier fuerit, & corpus mortuum in abscondito operit, talis vir rotabitur, & mulier lapidabitur, cognoscetq; de hoc Nempda Contractæ, in qua tale homicidium est commissum, quid in hoc sit verum; Et Præses moderabit juramentum, & deindè quilibet respondeat pro se qui nominatus est ad jurandum: Hoc fiat in omnibus homicidijs occultatis, & omnibus alijs caussis, pro quibus quis vitâ privatur.

CAPUT II.

De occisoribus filiorum, :

QVod si mulier vel vir occidit filium, vel occidit & occultat voluntariè, baptizatum vel non baptizatum, vel occidit patrem vel matrem, quicunq; hoc facit, debet masculus rotari, & fœmina lapidari, si est notorium; Cum verò talia objciũtur, & non sunt notaria, debet se purgare per Nempdam Cõtractę in illa Contracta ubi homicidium est commissum, & Prędes formabit juramentum, posteàq; jurabit unusquisq; qui in Nempda est, secundum quod ibi juramentum est propositum; Si defenditur, in nullo puniatur; Quod si condemnatur, tunc illerotabitur, & mulier lapidabitur: Atq; qui occidit, vel voluntariè occidendo occultavit, perdit jus succedendi defuncto, & ejus consanguinei scilicet defuncti; Quià nemo potest alium occidere, ut ad eum bona hæreditaria volvantur.

CAPVT III.

De casuali parricidio vel matricidio.

QVod si quis casualiter occidat patrem aut matrem, solvat tunc ut in libro de homicidio determinatur, Regi, Contractæ & Actori duplicatam pœnam, & non perdat vitam vel hæreditatem pro isto casu, Nempdaq; Contractæ cognoscat, utrùm fuit à proposito, vel à casu illud homicidium: CA-

CAPVT IV.

De sponsa duorum, vel sponso duarum.

QVi recedit à propria uxore, & cum alia contrahit & cohabitat, aliâ vivente quam legitimè duxerat, & hoc probatur per testes manifestè, perdant vitam, vir quidem decapitetur, & mulier lapidetur.

CAPVT V.

De incantationibus seu sortilegiis.

SIvè sit vir sivè mulier, qui alterum vitâ privare laborat venæno, aut arte magicâ, vel aliâ quacunque interficit, talis vitam perdat pro illo maleficio, vir rotetur, & mulier lapidetur, cognoscatq; de hoc Nempda ut priùs est dictum.

CAPVT VI.

De procurante mortem privigno, ut proprius filius succedat.

SI vir vel mulier procurat mortem filij ex altero vel altera geniti, ut proprius succedat in bonis, sit eadem Lex de ipsorum vita, & de successione judicetur ut priùs est dictum.

CAPVT VII.

De ducente exercitum contra Regem.

QVicunque exercitum suscitat contra Regem, vel Dominum regni, vel ponit illi insidias, & vult eum captivum ducere aut occidere, vel violentiam aliquam, aut quod injustum est contra ipsum facere cum litteris, consilijs aut factis, vel auxilio perdere, talis debet bona mobilia & immobilia cum vita perdere, si depræhenditur in facto notorio: Quod si alicui hoc obijcitur, & non est notoriũ, cognoscat de hoc Nempda Regia, & posteà quilibet juret, unusquisq; quidem de Nempda pro se, sicut dicitur in eorum juramento; Quod si condemnent illum, perdit omnia de quibus suprà; Si absolvunt, in nullo puniatur.

CAPVT VIII.

De inducente exercitum exterorum contra patriam.

QVi ducit exercitum externum contra patriam suam, & fert clypeum transversim contra verum Dominum suum, ac depopulatur patriam propriam, nisi sit cum illo Rege, qui verus Rex

Rex est tunc talis, & omnes qui cum eo sunt, incidunt in pœnam juramenti Regij violati, quod est Edzore; Et insuper vitam & bona immobilia perdũt, applicanda Coronæ perpetuò possidenda: Quod si cuiquam tale quid obijcitur, & non est notorium, debet tunc Nempda Regia illum absolvere vel condemnare; Si absolvitur, sit immunis à pœna; Si non, perdat vitam & bona.

CAPVT IX.

De occidentibus Dominum suum.

QVod si colonus, molendinarius, seruitor vel uxor illorum, occiderit proprium Dominum suum, vel maritus uxorẽ, & capitur in recenti ipse vel ipsa, tunc debent ad Placitum duci, & vir rotari & mulier lapidari; Terra autem eorum ac bona mobilia pecuniaq; cedant Regi ac Contractę, in qua commissum est maleficium, & Actori: Quandò alicui simile obijcitur, viro vel mulieri, & non est appræhensus in recenti, tunc purget se per Nempdam Contractæ ubi commissum fuit delictum, & Præses formet juramentũ, & posteà respondeat quilibet de Nempda, prout in juramento sunt nominati, deprecando Deum sic sibi esse propitium, & Sanctorum Reliquias quas in manibus tenet, quòd talis, aut uxor

 sua

sua non occidit verum dominũ suũ, vel uxor maritũ & ideò ille, vel illa non meretur perdere vitã vel bona; Si absolvitur, sit immunis à pœna; Quod si condẽnatur, perdat omnia de quibus est priùs dictum.

Quod si dicat ille qui occidit, quod occiderit casua, liter, & non ex proposito, tunc debet ille solvere duplicẽ pœnã hæredib. & non perdere vitã; Regi quoq; ac Contractę legales pœnas solvat, prout in libro de homicidijs dicitur, & non plus; Sed Nempda Contractæ cognoscat si factum ex proposito, vel ex casu.

CAPUT X.

De incendiarijs.

SI quis incendit alienas domos, & intendit comburere villam & villanos, comburitq; domum unam vel plures, vel totam curiam, & fuerit captus ore sufflans, & facem in manibus tenens, potest tunc talis ligari, & ad Placitum duci; Deindè XII. de Nempda Contractæ cognoscant, & veritatem inquirant de illo facto; Quod si absolvunt illum, tunc solvat XL. marcas qui illum ligavit innocentem, & non bannitur, neq; ejus bona confiscantur: Quod si condemnant illum, tunc perdat omnia quę habet, & dentur Actori bona illius, & Regi ac Contractæ: Sed ante omnia reficiat damnum Actori, & stetur dicto Actoris de damno dato: Quod si non est plus in bonis,

nis, tunc debet primùm Actori damnum refundi, & ille qui combusit bona Actoris comburatur in igne, quià igne nocebat.

CAPVT XI.

De modo procedendi contra incendiarios.

QVod si causa incendij imputatur viro vel muliери, & non depræhenditur in facto, purget se juramento XII. de Nempda Cõtractę, ubi maleficiũ est cõmissũ, & in nullo puniatur: Quod si deficit in purgãdo, reficiat damnũ datum, & XL. marcas det in tres partes dividendas; Quod si non potest solvere pœnã neq; damnum reficere infra proxima duo Placita territorialia postquàm condemnabatur, maneat tunc profugus, sivè fuerit vir, sivè mulier, pro omnibus, ità quòd impunè occidatur donec satisfecerit.

CAPVT XII.

De administrantibus venena.

SI vir vel mulier parat intoxicationes alicui, & notoriè depræhenditur, tunc debet talis capi & cõpedibus ligari, ac ad Placitum duci, & illę intoxicationes cum ea, & XII. cognoscant si illa confecit illas intoxicationes, vel nõ; Quod si absolvunt eam, in nullo puniatur; Quod si condemnant eam, condemnabitur ad XL. marcas Regi, Actori & Cõtractę; Quod si quis ex illis intoxicationib. est mortuus & de

hoc accusatur, cognoscant hoc XII; Quod si absolvunt illam in nullo puniatur; Si condemnant, tunc debet illa comburi, & ille rotari, bonaq; mobilia dividantur in tres partes sed bona immobilia recipiant hęredes: Quandò aliquid hujusmodi objicitur alicui, tunc debet Legislator & homines de Contracta, ac Præses & Nempda Contractę, tales absolvere vel condemnare, ut priùs est dictum, & quilibet juret prout illi fuerit injunctum.

LIBER VNDECIMVS
DE
JVRE SVECORVM
Gothorumque circa Homicidia voluntaria.

CAPVT I.

De duobus occisis ab invicem.

QVandò duo se mutuò occidunt, tunc compensetur vir pro viro, & hæredes eorum solvant pœnam debitam Regi VIII solidos, & XIII. marcas, ac similiter Contractæ.

CAPVT II.

De occisore qui capitur in recenti.

QVandò quis alium occidit, & in recenti capitur prope funus, vel in eodem die naturali quo homicidium commisit, tunc vita pro vita solva-

ſolvatur, & nullibi gaudeat immunitate niſi in Eccleſia aut Monaſterio: Hoc autem eſt verum, ſi probari poteſt quòd commiſit homicidiũ quòd in hoc delectaretur, & non fuerit coactus, hocq; cognoſcat Nempda Contractæ, in qua homicidium commiſit, priuſquàm vitam perdat.

CAPVT III.

Quandò vindicta pro homicidio per hæredes fit in impetu.

QVandò proximus hæres occiſi vindicat infra diem naturalem, & occidit occiſorem cum impetu ſine Sententia, tunc ſolvat ille pœnam prout alij homicidæ, & ſubeat pœnitentiam; Non tamen erit profugus, nec vitam perdet; Regi autem ſolvat VIII. ſolidos & XIII. marcas: Similiter Contractæ.

CAPVT IV.

De occiſore defendente ſe, vel non.

QVandò proximus hęres occiſi, vel alius vultum pedire occiſorem à fuga propter Deũ, vel quia habet in mãdatis hoc à Domino, vel quià eſt officialis Domini, & occiſor occidatur armis, tũ ſe defendendo, cognoſcetur ipſius cauſſa ſicut vivi, & judicabitur ſecundum ejus delictum, & nulla pœna ſolvitur pro ipſo, neque Actori, neq; Regi, neque Contractæ.

CAPVT V.

De occiſo indefenſo.

QVod ſi occidatur aliter quàm ſe defendendo, ſolvatur tunc pœna pro eo totaliter Actori, Regi & Contractæ.

CAPVT VI.

De termino illorum qui cum fuga evadunt.

QVandò occiſor fugit ad Eccleſiam vel Monaſterium, & non captivatur eodem die naturali, tunc Præſes Contractæ ſignum præconizationis, videlicet Budkaffla faciat, & homines illius Contractæ ad Placitum convocet, ac ille qui homicidium commiſsit, ibi in Placito à nemine inquietandus ſe præſenter, & de facto ſuo reſpondeat; Quod ſi confitetur, vel erit legitime convictus, dabitur tunc ſibi terminus unius menſis ad præſentandum ſe Regi, & XIV dies de recedendo à Rege,

& non longior terminus, nisi hoc obtineat de speciali gratia Regis: Qui aliquid in illum commiserit, cadit in pœnam violati Regij juramenti, videlicet Edzõre.

CAPVT VII.

Quandò Occisor non vult comparere pro defensione caussæ suæ.

QVod si Occisor non vult comparere ad respondẽdum in Placito, tunc est in potestate Actoris eum pro homicidio convincere acsi comparuisset, & non habebit ulteriorem terminum vel dilationem, neq; in aliquo loco gaudebit immunitate, nisi in Ecclesijs vel Monasterijs.

CAPVT VIII.

De Bannito seu profugo fugere nolente.

QVod si Bannitus residet in domo sua & non fugit, ac Actores volunt ipsum appræhendere, nuncient hoc Præsidi & Exactori, illique tenentur eum captivum ducere cum Actoribus.

CAPVT

CAPVT IX.

Quandò Occisor defenditur:

QVandò aliqui volunt occisorem defendere cùm aliquis vult eum captivare, sivè in domo sua sivè alibi, sit illud pœna dupli quod illi faciunt qui eum defendere volunt, at hoc quod illi patiuntur pro nihilo æstimetur.

CAPVT X.

De rapiente Occisorem postquàm est captus.

QVandò aliquis rapit occisorem ab illis qui eum captivarunt, tunc incidit in pœnam violati juramenti Regij.

CAPVT XI.

De capiente mulctam pro Occisore.

REcipiens mulctam pro occisore det Regi mulctam, & XL marcas sivè sit Actor, sivè Exactor, aut alius quicunque.

CAPVT XII.

De termino occisoris ad accedendum Regem.

QVod si occisor comparuerit coram Rege, vel eo qui ejus locum tenet in regno, & fatetur coram eo delictum suum, habeat tunc terminum accedendi ad eum ut est priùs dictum; Rex autem tenetur illi litteras dare ad illam Contractam ubi delictum est commissum, & in litteris suis unum nominare, qui præsens sit nomine Regis, ut negotium rationabiliter examinetur; Et cum illo sint Præses Contractæ, & Nempda ejusdem Contractæ, pro agnoscenda hujusmodi caussa: Quod si licuerit quòd ipse commisit homicidium coactus, & ad salvandam vitam suam, debent tunc prænominati æstimare pœnam solvendam Actori, prout volunt coram Deo rspondere, & corum Rege, & defuncti caussã examinare qualiter coegit defũctus occisorẽ se occidere; Sed si boni viri hoc intelligere possunt per rationes sufficientes, quòd talis non coactus homicidium commisit, tunc non moderabunt pœnam, sed occisor proscribatur ex regno, & nunquàm restituatur ad pacem, priusquàm offert & dat, prout cum Actoribus convenire posit.

CAPVT

CAPVT XIII.

De Actore intercedente pro occisore.

POstquàm pœna est soluta, & Actor intercedit pro occisore, tenetur tunc Rex, vel ejus locum tenens, illi gratiam & pacem præstare, solvatq; talis Regi VIII. solidos, & XIII. marcas.

CAPVT XIV.

De occisore nolente solvere pœnam.

QVandò occisor non vult solvere pœnam, oportebit eum fugere de regno, & non restituatur ad pacem, nisi primùm concordaverit cum Actore, prout Præses & Nempda Contractę judicaverant; Deindè dabit Rex illi securitatem seu pacẽ, & ille solvat Regi VIII solidos & XIII. marcas, & similiter Contractæ: Debet verò tunc Rex, vel ejus locum tenens, examinare ejus litteras & ipsius casum, & secundum hoc illi pacem indulgere, prout habuit originem tale factum, sed de jure Regio faciat mentionem.

CAPVT XV.

De litteris Regis per Occisorem impetrandis.

NOn sit pœna major quæ Regi debetur quàm VIII. solidi & XIII. marcæ, & tanta sit Contractæ; Pro litteris autem Regis super termino dato per Regem, solvatur Cancellario media marca, & pro litteris restitutionis ad pacem una marca; Et tales litteræ scribantur in vulgari lingua hujus Regni, hoc est in lingua Svetica, & omnes litteræ in quibus Sententiæ latæ includuntur.

Quod si non fuerit occisor restitutus ad pacem, sed fuerit occisus postquàm ejus terminus exspiravit, nulla pro eo solvitur pœna, nec debent etiàm ipsius bona confiscari, neque mobilia, nec alia bona; Neq; solvet quicquam pro pœna Actori, nec Regi, neq; Contractæ, nisi eum inhumaniter occiderit, vel aliter in hoc casu deliquerit, dummodò non fuerit tale propter quod quis incidit in pœnam violati juramenti Regij, quæ debet in suo robore permanere.

CAPVT XVI.

De occidentibus aliquem inhumaniter.

ISta sunt homicidia inhumana: occidere patrem vel matrem, filium vel filiam, fratrem vel sororem,

rem, vel minorennem qui non complevit annum septimum nisi sit casualiter: Vel si quis aliquem occidit dormientem, vel in aqua natantem, vel inermem profligat & indè mors sequitur; Qui similia facit, de quibus jam est dictum, incidit in pœnam, velut priùs est dictum in libro de violato juramento Regio. Quod si non est captus, fugiat tunc de regno, & tanto minor erit sibi gratia, quanto minùs meretur eam.

CAPVT XVII.

De alienigena occidente alium.

QVandò alienigena aliquem occidit, sit tunc idem jus ac si indigena feciſſet, nisi quod sua bona mobilia cedant Regi, Actori & Contractæ.

CAPVT XVIII.

De recipientibus Bannitum hospitio.

QVicunq; recipit Bannitum hospitio, ità quod det illi unam refectionem, vel retineat in domo per noctẽ, postquàm bãnitus fuit & ejus terminus exspiravit, solvat III. marcas, vel purget se sextà manu quòd ignoravit eũ bannitũ; At qui diutiùs quàm jam est dictũ hospitio receperit aut paverit, XL. marcis punia-

puniatur, quæ cedant, ut priùs, partibus tribus, & cognoscat Nempda Contractę hujus rei veritatem, totiensque puniatur in XL. marcis, quotiens fuerit legitimè probatum, quòd eum diutiùs tenuit & pauit.

CAPVT XIX.

De illis occisoribus qui capiuntur infra diem naturalem.

QVandò quis occisor captivatur infra diem naturalem, postquàm homicidium est commissum, & ducitur ad Placitum ibiq; convincetur, at ipse negat se tale homicidium commisisse, nominabit tunc Præses XII. ex Contracta, in quos ambæ partes consentiunt, & illi cognoscent de veritate, prout coram Deo responsuri sunt, & coram eorum Rege, quòd ipse in loco ubi homicidium fuit commissum, fuit in culpa ob mortem talis, volendo vel cooperando, vel non; Si tales illum condemnāt, possunt tunc Actores agere ad pœnam, & eum facere vitâ privari, ut priùs est dictum, & non admittere possunt ut vita pecunijs redimatur.

CAPVT

CAPVT XX.

De eo qui absolvitur per Nempdam.

QVandò Nempda absolvit Reum, tunc sit immunis à pœna, & ille qui eum captum duxit violenter, puniatur in XL. marcis, quià innocentem ligavit: Quod si est percussus, aut vulneratus, solvat tunc talis pro pœna, prout in libro de vulneribus inflictis est expressum: Quod si captus fuerit in propria domo, vel alterius, incidunt tunc capientes in pœnam violati juramenti Regij.

CAPVT XXI.

De comparente & confitente homicidium à se commissum.

QVandò homicida non captus comparet, & dicit se esse in culpa volenter faciendò homicidium, vel dicit quòd ibi non fuit, hoc cognoscat Nempda Contractæ, in quam ambo videlicet Actor & Reus consentiunt, utrùm ipse in loco ubi commissum est homicidium præsens fuit, volūtariè efficiēdo homicidium, vel non; Et ille quem ipsa excipit, & qui in loco non fuit, vel fuit, non tamen co-

cooperatus est, pro homicidio taliter excepti sunt immunes à pœna; Et posteà est in potestate Actoris convincere illum ad principalem occisorem quem vult, & illum ad cooperatorem quem vult, duodecimâ manu juramẽto in Placito facto, de illis qui in loco homicidij fuerunt, & non excipiebãtur per Nempdã; Ille autẽ qui convincitur pro homicidio, habeat terminum accedendi Regem, & recedendi ut priùs est dictum; Sed pœna cooperatoris sunt IX. marcæ: Quod si cui objcitur quòd consilium dedit undè homicidium est commissum, purget se sextâ manu, vel solvat VI marcas tribus partibus applicãdas.

CAPVT XXII.

De Occisore qui priùs moritur quàm convincitur.

QVandò homicida priùs moritur quàm est de homicidio legitimè convictus, & hoc hæredes confitentur, solvantur tunc pœnæ solitæ tribus partibus applicandæ; Quod si hæredes negant, cognoscat tunc Nempda in Contracta, & pro medietate eligat quilibet Nempdarios; Quod si absolvitur, in nullo puniatur; Ast si condemnatur, solvant hæredes pœnam, prout priùs est dictum.

CAPVT

CAPVT XXIII.

De Occisore victo moriente antequàm exspiravit terminus.

QVandò occisor moritur postquàm est convictus, & antequàm terminus exspiravit, soluant tunc hæredes pœnam in Lege expressam, XL. videlicet marcas, ut priùs est dictum.

CAPVT XXIV.

De Occisore moriente postquam exspiravit terminus.

QVod si occisor moritur postquàm terminus sibi datus exspiravit, & priusquàm restituitur ad pacem, vel priusquàm Actorem de pœna sibi solvenda certificat, solvant tunc ejus hæredes Actori VIII. solidos & XIII. marcas, & sint liberi pro Rege & Contracta; Sed si pœna promissa fuerat, solvant, tunc hæredes pœnam de bonis defuncti: Vbicunq; verò quis debet alium pro homicidio convincere legitimè, habet terminum hoc faciendi infra annum & diem, postquàm homicidium est commissum, illudque faciat sivè velit in principio anni, sivè medio vel fine.

CAPVT XXV.

De maleficiis illis in quibus filij solvunt pro parentibus.

DVicquid dandum est pro pœna patris seu matris quandò deliquerant, vel aliorum consanguineorum, tunc semper solvatur pœna de parte illius, qui deliquerat, sivè sint bona immobilia, sivè mobilia; Quod si non sufficiunt bona mobilia vel immobilia, hæredes nihil supplere tenentur, & sint liberi tàm pro Rege quàm pro Actore & Contracta; Quià ibi non tenetur quis aliorum solvere pœnas, ubi nihil levavit.

CAPVT XXVI.

Quandò nemo convincitur de homicidio infra annum & diem.

QVod si infra annum & diem nemo convictus fuerit de homicidio, postquàm homicidium est commissum, nemo potest deindè aliquem ad homicidium convincere; Ille autem pœnam solvat, qui per se confitetur.

CAPVT

CAPVT XXVII.

De homicidio occultato dicto vulgariter **Dulgadráp.**

QVandò nemo fatetur se commisisse homicidium, & nemo convincitur infra annum & diem postquàm fuit commissum, cadit tunc Contracta in pœnam XL marcarum, nisi verum homicidam ostendat, & tale homicidium appellatur vulgariter **Dulgadráp**: De illis verò XL marcis capiat Rex duas partes, & tertiam hæredes occisi, si sunt in regno; Quod si non sunt in regno, aut non veniunt litteræ, & probationes ab illis infra diem & annum, postquàm tale homicidium fuit commissum, pro **dulgadráp** judicatum, dividantur tunc VIII. solidi & XIII. marcæ, prout dictum in libro de bonorum successione, ubi agitur de bonis in quibus succedit Fiscus.

CAPVT XXVIII.

De pœna quam solvere debet Contracta pro homicidio occultato.

QVandò pœna exigitur à Contracta pro homicidio à nemine confesso, debet tunc Nempda

Contractæ cognoscere, utrùm mortuus est ex propria infirmitate, & non ex aliqua manuum injectione; Vel si verus hæres nominavit homicidam in Placito convocato infra annum & diem; Vel quòd aliquis confitebatur homicidium infra diem & annum, aut ostendit verum homicidam cum sufficientibus testibus: Quod si Contracta non habet aliquid ex præmissis excusationibus pro se quæ nunc sunt enumeratæ, debet tunc Contracta solvere XL marcas, duas quidem illarum partes Regi, & unam Actori; Ista pœna exigitur secundum naturam personarum sexus masculini, & XV annorum ac suprà; Pro omnib. verò illis pro quib. solvenda est pœna per Contractam ratione prædictâ, solvatur si tales sunt occultè & violenter occisi, & non pro alijs aliter occisis; Atq; ab illa pœna nemo est liber & Præses Contractæ enumerabit personas, quarum quælibet tenetur ad solutionē quæ ab eo nominatur; Qui non curaverit solvere, puniatur in III. oris: Quod si omnes de una curia non curaverint solvere, cogantur ad solvendum, & puniantur in III marcis;

CAPVT XXIX.

De occisis in insulis.

QVandò aliquis occiditur in insulis vel scopulis, tunc si Contracta invenerit occisorem infra diem & annum, vel cùm sit clarum & notorium quòd per exteros hoc est factum, tunc Contracta nihil solvet; Quod si non est ità, solvat Contracta pro homicidio non confesso XL. marcas, & tamen non plus etiamsi funera sunt plura quàm unum inventa unâ vice.

CAPVT XXX.

De muliere quæ hominem occidit.

SI mulier aliquem occidit, & capitur in recenti infra diem naturalem, debet tunc ad Placitum duci & convinci, ac judicari sicut alius occisor, sitque postea in potestate Actoris ab ea mulctam suscipere, vel eam facere decapitari; Quod si Actor mulctam susceperit, tunc mulcta Regi debita sunt VIII. solidi & XIII. marcæ, ac tantundem Contractæ.

CAPVT XXXI.

Qualiter mulier occidens debet cannivi.

QVod si mulier aliquem occidens non fuerit capta infra diem naturalem, debet tunc postea capta in Placito convinci sicut alius occisor, & solvere XL. marcas Actori, Regi & Contractæ; Nemo

potest mulierem in banno ponere, quandò potest pœnam solvere; Quod si non potest, sit tunc in potestate Actoris minorem pœnam imponere, vel facere eam vitâ privari, & sit libera pro mulcta Regi & Contractæ debita; Nec ille incurrit aliquam pœnam qui eam nutrivit, vel cohabitat cum ea, nisi defensaverit illam contra illos qui volunt eam ducere captivam; Quod si quis defensaverit eam, duplatur ejus pœna pro omni eo damno, quod alteri infert, & quod patitur pro nullo æstimetur.

CAPVT XXXII.

De custodia occisoris per Exactorem habenda.

QVandò occisor fuerit legitimè captus, sivè fuerit vir sivè mulier, dabit tunc illum Actor in manus Exactoris Regis, & ille ponet illum in vincula Regis, & ibi custodiri debet donec Placitum convocetur & causa examinetur; Exactor autem tenetur eum ad Placitum ducere, & ibi Actori restituere; Postea convincat eum Actor, & deindè faciat eum judicari, ac secundum justiciam puniri, ut priùs est dictum.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

De occidente Clericum, vel cùm Clericus laicum occidit.

QVandò presbiter vel clericus laicum occidit, capiat tunc partem pœnæ Regi debitam Episcopus, & hæredes partem Actoris; Quod si laicus clericum occidit, ibi Rex recipiat partem sibi debitam, & hæredes suam, & similiter Contracta.

CAPVT XXXIV.

De occiso cujus hæredes non sunt in Regno.

QVandò aliquis occiditur, sit clericus vel laicus, & hæredes non sunt in regno quandò talis occisor convenitur, & si illud homicidium fuerit defensatum contra illum qui tunc agit in absentia veri Actoris, & verus Actor postea redit exigitq; mulctam, sit tunc defensum tale homicidium pro illo, sicut fuit pro illo qui primò occisorem convenit, & similiter pro omnibus alijs, qui velint de super agere.

CAPVT XXXV.

Qualiter probatur cauſſam eſſe terminatam ſuper homicidio, & pœnam eſſe ſolutam.

QVod ſi oſtendendum eſt litem eſſe terminatam & pœnam ſolutam, arque Actor, Rex & Contracta petunt pœnam, vel quicunq; ex illis pœnam exigit, at Reus dicit ſe ſolviſſe, hoc cognoſcant XII de Cõtracta, ſi eſt pœna ſoluta vel non; Quod ſi quis comparet in Placito, & confitetur delictum ſuum pro quo tenetur mortem pati, cognoſcant tunc XII ſi confeſſus eſt verè delictũ vel non, illos verò XII. nominabit Exactor; Qualecunq; ſit delictũ quod confeſſus eſt, & eſt delictum merens mortem, jurabunt tunc XII. quòd ipſe confeſſus eſt priuſquàm ille judicetur.

CAPVT XXXVI.

De vagabundis alios occidentibus.

QVandò vagabundus alium occidit, captiverur tunc ab Actore vel Exactore, aut Præſide ubicunq; capi poteſt extra Eccleſiam vel Monaſterium, & ducatur ad Placitum & ibi judicetur ad mortem, pro eo neque jejunetur, neq; aliqua pœna ſolvatur.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

De vagabundo alium vulnerante.

QVandò vagabundus aliquem vulnerat, vel mutilat graviter, & ſufficit ſolvere pœnam ſtatutam, debet tunc capi ut eſt dictum; Et ſi nemo venerit infra menſem, qui pro eo pœnam ſtatutã offerat, debet tunc ad Placitum duci, & ibi judicari ad perdendam manum, & poſteà adhuc detineri captus per menſem; Et ſi nullus tunc ſolvere vult pœnam pro eo, perforetur tunc cultello manus ejus: Ille autem eſt vagabundus qui non habet domicilium, & qui non ſufficit ad pœnam ſtatutam ſolvendam.

CAPVT XXXVIII.

De Occiſore qui per inſidias occidit.

QVandò quis ponit alteri inſidias ſub domibus aut in ſylvis, vel portis ſeu cancellis, vel inſulis aut ripis & ille qui inſidias paravit occiditur impunè fiat, niſi ille voluerit vindicare mortem ad ſe pertinentis viri, aut obſervat Bannitum, ſolvatur tunc pœna pro homicidio voluntario in Lege ſtatura, videlicet XL. marcæ Actori, & tantum Regi & ſimiliter Contractæ;

At si occiditur ille qui advenit pro eo dupletur pœna, videlicet LXXX marcę, nisi ille qui insidias paravit, vindicat mortem patris aut fratris, aut alicujus consanguinei, pro quo ipse in judicio agere posset. Quod si alius dicit esse factum per insidias, & alius negat, cognoscant tunc XII. quid in hoc sit verum. Quandò verò vagabundus quempiam vulnerat, & non potest solvere pœnam III. marcarum, capiatur tunc ut priùs dictum est; Non deniq; sunt insidiæ ubi non sequitur invasio armata, ut dicitur in libro de violato Regio juramento.

CAPVT XXXIX.

De occiso in congregatione exercitus.

SI quandò Rex educit exercitum, & naves sunt in portu, ac clypeus est in prora, si tunc quis ibi occidatur, pro eo pœna dupletur: In casibus verò nunc enumeratis, oportet convincere principalem occisorem & cooperantem, sicut dictum est in alijs homicidijs; Sed hoc modo dividatur pœna duplex pro homicidio; Actor recipiat primò XL marcas, & deindè XL marcæ dividantur inter Regem, Actorem & Contractam.

LIBER DVODECIMVS
DE
JVRE SVECORVM
Gothorumque circa Homicidia Fortuita.

CAPVT I.

De vibrante arma, & alium quàm intendebat lædere.

QVandò quis vibrat arma contra alium, & alius occiditur, tunc non potest nisi unus ictus casualis dici.

CAPVT II.

De vulneribus uno ictu inflictis, & de juramento casuali.

QVandò ex uno ictu duo vulnera infliguntur, puta in capite vel in manu, & sunt graviora, pœna

neq; est XX. marcarum cum juramento duodecimà manu facto, quòd hoc accidit casualiter & non ex proposito, tunc omnes jurabunt & nemo tacebit; Atq; hoc debet fieri ad unicam citationem, quod juramentum præstetur, & pœna solvatur, ac non ad casuale juramentum, nisi uterque consentit, scilicet qui occidit & ejus hæredes qui occisi sunt; Ambo tenentur jurare & in juramento stare, rogareq; sic sibi Deũ propitium esse, quòd non reperiebatur in occiso quidquã animo irato factũ neq; spontè.

Deindè dat fidem de juramento præstando in proximo die festo post homicidium perpetratũ coram parochianis, & posteà infra annum & diem in Placito ubi deliquit jurabit, & offeret tunc statim pœnam postquàm juravit: Et quandò tale juramentum est præstitũ, tunc Reus est liber ab homicidio voluntario ibiq; oportet quod adsit Exactor Regius: Ille qui homicidium commisit, faciat nunciari Exactori hoc per duos domiciliarios, qui si nõ venerint dùm præstatur juramẽtum, & sibi hoc fuerat nunciatum, juret tunc Reus & pœnam evadit; Quod si hoc nunciatum non fuerit, tunc juramentum non est legitimè præstitum, quandò jurat & Exactor Regius non est præsens, prout nunc dictum est de juramentis in casualibus homicidijs; Sic debent præstari pro homicidijs voluntariè inflictis, & effusione sanguinis, & pro omnib. occisionibus quæ casualiter fiunt.

CAPVT III.

De committente homicidium in venatione.

QVandò quis in venatione constitutus, aptat se ad sagittandam feram, & in medio occurrit homo & occiditur, solvat XL. marcas, & præstet juramentum casus fortuiti; Quod si sagitta obstaculum priùs inveniat, puta arborem vel lapidẽ, & posteà tangit hominem undè ille moritur, solvat IX marcas: Quod si quis traijcit cuspidem, vel projicit lapidem, per quem damnum potest inferri, & aliquis exindè lædítur morsq; sequitur, fit pœna & juramentum ut priùs est dictum.

CAPVT IV.

Quandò sagitta priùs invenit obstaculum.

QVandò sagitta priùs obstaculum invenit quàm ab illa aliquis lædebatur, talis læsio non censetur ex manibus provenisse; Si tamen indè aliquis lædítur ad mortem, fit pœna IX. marcarum cum juramento ut priùs dictum est.

CAPVT

CAPVT V.

De sagittante vel proijciente supra domos undè damnum sequitur.

QVod si quis sagittat vel proijcit lapidem, vel alias res quæ lædere possunt, & quis indè occiditur, pœna est IX. marcarum, cum juramento ut priùs dictum est.

CAPVT VI.

De ponente capturas ferarum in sylva.

SI quis facit retiacula in sylvis, ponendo cuspidem aut cordam, vel faciendo foveam aut fossam pro onagris, vel alijs feris, debet tunc hoc notificare die festo priusquàm hoc facit, ubi vult hoc facere, & per duos dies festos posteà quod facta sint notificare & in quo loco; Quod si quis ex similibus occiditur, publicatione non factâ, solvat faciens XL marcas; Quod si quis dicit publicationem factam fuisse, & alius non, probetur per XII. de parochia quod hoc fuit legitimè publicatum: Quod si deindè ex hujusmodi facto aliquis in mortem inciderit, pœna est IX marcarum.

CAPVT

CAPVT VII.

De duobus arborem incidentibus ubi mors sequitur.

QVandò duo arborem incidunt, vel lapides volvunt, & sic pariter occiduntur, pro nemine illorum aliqua pœna solvatur; Quod si alter tantùm occiditur, tunc superstes solvat IV. marcas cum dimidia.

CAPVT VIII.

De occiso in puteo vel ponte.

VBi puteus est in villa, talis debet cooperiri, & si in talem quis inciderit & moritur, solvatur pro eo pœna IV. marcarum cum dimidia per possessorem; Si verò plures usum illius habent, solvat tunc ille qui ædificando defecit, & non ille qui ædificavit: Quod si quis inciderit in pontem & indè moritur, pœna sit pro illo III. marcarum cum dimidia; Quod si conservatio pontis ad plures spectat, solvat tunc ille qui in ædificando defecit, & non iste qui ædificavit.

CAPVT IX.

De occiso per casum ab arbore.

SI quis ascendit arborem sponte & proprio motu, atq; cadens ex arbore moritur, pro tali nulla solvitur pœna; Quod si quis rogatus ascendit, & cadit ac moritur, pœna est IV. marcarum cum dimidia; Quod si quis ascendit arborem de mandato, & cadit atq; moritur, pœna est XX. marcarum: Sed si hæredes defuncti dicunt, quòd ascendit de mandato, & alius negat, purget se duodecimâ manu, in quo si deficit juramento, solvat pœnam superiùs expressam.

CAPVT X.

De oppresso per alterius casum, vel domus ruinam.

QVandò quis cadit, & cadendo alterum apprimit, nulla sequatur ex hoc pœna; Quod si domus, vel aliud ædificium hominem opprimat, sit pœna IV. marcarum cum dimidia; Sed si plaustrum virum apprimat, nulla propterea solvatur pœna.

CAPVT

CAPVT XI.

De homicidio facto per minorennem voluntariè.

QVandò minorennis major septennio, & minor annorum quindecim homicidium facit voluntariè, sic judicetur de facto minorennis sicut de casuali hominis legitimæ ætatis, solvaturq; pœna XX. marcarum, de qua accipiat Actor XIV. Rex autem III. & III. Contracta.

CAPVT XII.

De homicidio facto per minorennem casualiter.

QVandò minorennis aliquẽ occidit casualiter, solvat IX. marcas Actori, Regi autem & Contractæ nihil; Quod si est VII. annorum vel minùs, & occidit voluntariè, solvat IV. marcas; Sed si facit casualiter, solvat III. marcas Actori: Quod si vulnerat & non occidit, nulla est pœna.

CAPVT XIII.

De homicidio occultato per minorennem.

QVandò minorennis occultat homicidium, convincatur ille pro homicidio, sicut alij pro

homicidijs convincuntur: Quod si quis dicat illum minorennem & alius neget, cognoscant hoc XII. ex Contracta, & medietatem Nempdæ eligat Actor, & aliam Reus; Mulier etiam censeatur illius juris sicut vir in pœnis casualibus, ubi ipsa occidit vel occitur.

CAPVT XIV.

Si mulier occiditur.

QVandò mulier occiditur casualiter & dicitur esse gravida, incumbit tunc hæredibus partus uterini probare eam fuisse gravidam, testimonio II. mulierũ & juramento XII virorum, quòd fuerit gravida, & augeatur pœna per III. marcas & dimidiam.

CAPVT XV.

De viro vel muliere cadente à sensu.

QVandò vir vel mulier cadit à sensu, debent tunc proximi consanguinei hoc notificare vicinis propinquioribus, & propinquis ac parochianis, ac ipsum vel ipsam in custodia tenere: Quod si vir vel mulier talis à custodia evaserit, & occidit virum vel comburit villam, sit pœna casualis IX. marcarum; Nec pœna est major etiamsi exusta sit villa

villa una cum ipsius possessore: Quod si vir vel mulier talis aliquem occiderit, pœna erit ut pro casualibus est decisum, videlicet IX. marcæ, & hæredes ipsius vel illius tantum solvent, & tantum etiàm capient pro illis; Quod si testes super publicatione facta non fuerint, sit tunc factum mulieris vel viri in casu voluntario, tàm quo ad ea quæ faciunt, quàm quoad ea quæ patiuntur.

CAPVT XVI.

De parentibus eorum filios casualiter occidentibus.

QVod si pater vel mater occiderit filium vel filiã casualiter, & ambo parentes vivunt, alterq; alterum vult de homicidio convenire, præster tunc juramentum quod in casualib præstandum est, & solvat pœnam pro casualibus decisam, & non vexetur ampliùs, neq; ad purgationem, neq; ad pœnam majorem Quod si neuter alteri hoc objcit, non tenetur neq; ad juramentum neq; ad pœnam: Vbicunque quis obligatur ad præstandum juramentum in casibus fortuitis, ut tantummodò solvat pœnam pro casualibus determinatam, si tunc deficit in juramento purgationis suæ, æstimetur tunc factum voluntarium & non casuale.

CAPVT XVII.

De homicidio facto per animalia bruta.

QVod si iumentum aliquod, taurus, porcus castratus vel non castratus, caper, equus vel canis, & sit jumentū quodcunq; quodoccidit, solvat ille cujus est jumentū IX. marcas; Verùm si quis nutrit bestias, feras & aves in domo, & faciunt damnum aliquem lædendo, sit idem jus de illis sicut de alijs brutis, in omni casu: Quod si ille negat cujus est bestia, convincant tunc eum hæredes defuncti II. testibus, & juramento XII. virorum.

LIBER DECIMVS TERTIVS
DE
JVRE SVECORVM
Gothorumque circa vulnera voluntariè inflicta.

CAPVT I.

De vulneribus voluntariè inflictis.

QVandò quis vult alium pro vulnere convenire, & ille qui convenitur dicit quòd erat in loco, at non cooperatus, neque voluit quòd talis læderetur, vel dicit quòd ibi non erat, hoc cognoscat Nempda in quam ambo consentiunt, utrùm fuerit in loco conflictus, & hoc voluit, aut cooperatus fuit quòd talis læderetur, vel non; At quos Nempda excipit quòd in loco conflictus non fuerunt, vel fuerunt & tamen non machinati sunt in læsionem illius qui læsus est, tales excepti

excipit, quià in loco conflictus non fuerunt, vel fuerunt & tamen non machinati sunt in læsionem illius qui læsus est, tales excepti à pœna sunt liberi; Dei indè læsus potest convincere quem vult ad pœnam pro vulnere VI virorum juramento in Placito, de illis qui ibi fuerunt & non excipiebātur per Nēpdam.

CAPVT II.

De illo qui vulnus infligit, & rapinam committit.

QVandò alicui simul infligitur vulnus, & insuper spoliatur, tunc talis læsus convincere potest Reum juramento VI. virorum ad utrunq; & solvat pœnam seorsùm pro utroq;.

CAPVT III.

De confligentibus per arma.

QVandò aliqui, utrinque de armis provisi, animo irato confligunt, & alter alteri infert vulnus grave, amputando nasum vel aurem seu oculum, vel lædit eum aliàs in facie aut collo, ità quod exindè perpetua deformitas apparebit, aut præscindit alteri manum vel pedem, qui hoc facit, dabit passo XL. marcas pro tali deformitate, & XXX. marcas in tres partes dividendas pro vulnere;

Si vero

Si verò alicui de istis duobus membris aliquid amputatur, dupletur tūc pœna tàm ratione deformitatis quàm ratione vulneris, solvatq; XXIV marcas ratione deformitatis, & XL. dividendas in tres partes: Quod si plura membra amputantur de prædictis, sic æstimetur unum membrum sicut reliquum, tàm ratione deformitatis quàm ratione vulnerationis.

CAPVT IV.

De abscindente articulum.

QVandò quis amputat alteri pollicem, vel posteriorem partem pedis, sint tunc IX. marcæ pro deformitate, & XII. dividendæ ut priùs pro vulneratione, quià pollex est media pars manus, & calcaneus est media pars pedis: Quod si amputatur digitus proximus pollici, tūc sit pæna III marcarum pro deformitate, & IX pro vulneratione; Longior digitus indici proximus similiter in pœna æstimetur; Digitus autem ille qui est proximus minimo, III. marcæ pro ejus deformatione, & VI marcę dividēdę ut priùs; Minimus deniq; digitus æstimetur in pœna eodem modo: Sed si pedica amputatur, quęlibet istarum pedicarum sic æstimetur ratione vulnerationis, sicut digitus, sed ratione deformitatis duplo minùs.

CAPVT V.

De vulnere ubi non sequitur mutilatio.

QVandò quis graviter vulneratur, non tamen mutilatur, puta perforatur gladio, cultello vel lanceâ seu cuspide, vel quibuscunque armis hoc fiat, vel transfossus per suum brachium, tibiam vel ubicunq; transfoditur in capite, brachio vel tibia, ità quòd ossa extrahuntur, aut si brachia vel tibia rumpuntur & conquassantur, hæc vulnera gravia appellantur, pœnaque est XIX. marcarum dividenda ut priùs, at nulla est pœna pro deformitate.

CAPVT VI.

De vulneribus ex quibus homo contrahitur.

QUandò quis vulneratur in dorso aut in brachio vel tibia, ità quòd indè contrahatur adeò ut perdat usum menbrorum, vel fiat deformis, pro tali deformitate est pœna VI. marcarum: Quod si non contrahitur, nec usus menbrorum perditur, & nulla deformitas sequitur, tunc non dabitur pœna aliqua ratione deformitatis.

CAPVT

CAPVT VII.

De vulnere inflicto in manu.

QVod si quis percutiatur supra manum, ità quòd pollex contrahitur & inhabilitatur, pœna est III. marcarum pro deformitate; Pro digito sequenti XII. orarum pro deformitate; Pro longiore digito, VI orarum; Pro sequenti III orarum, & pro minimo digito IV. solidorum cum medio; Vulnus autem prout fuerit æstimetur.

CAPVT VIII.

Quandò eruuntur dentes alicui.

QVandò alicui eruuntur dentes IV. ex utraque parte superiori & inferiori, hoc reputatur esse integrum menbrũ, sitq; tunc pœna ratione deformitatis XII marcarum, & ratione vulnerationis similiter pœna XII. marcarũ; Quod si verò unus dẽs eruitur, pœna est XII orarum pro deformitate, & ratione vulnerationis III. marcarum: Vbicunq; pœna deformitatis & pœna vulnerationis concurrunt, illic pœna vulnerationis cedit Actori, Regi & Contractę; Sed pœnam deformitatis tollit Actor solus; Aſt ubicũq; pœnæ istæ solvi debent, simul solvatur ubi non est mutilatio, & duret cognitio infra annum & diẽ, quibus lapsis nominet Præses VI. viros de Cõtracta,

qui inſpicient ſi eſt ità contractus vel deformis, ut ſibi debeatur mulcta ratione deformitatis vel non.

CAPVT IX.

De vulnerum quantitate.

QVandò contenditur, alter dicit vulnus fuiſſe magnum, & alter dicit fuiſſe minus, nominabit tunc Præſes VI. viros de Contracta ad inſpiciendum vulnus, & ità moderet pœnam prout illi dicunt jus & juſtum eſſe.

CAPVT X.

De percuſſo aut conquaſſato, qui non poteſt adire Eccleſiam, vel venire ad Placitum.

QVandò quis percutitur vel conquaſſatur, ità quòd non eſt potens accedere ad Eccleſiam, vel venire ad Placitum ad conquerendum, vel ad faciendum inſpici vulnera, id tunc nunciandum eſt Præſidi, & ille nominabit VI. viros veridicos, qui accedant ad infirmum infra XIV dies, exindè proximè ſequentes poſtquàm percuſſus fuit, ad æſtimandum ejus vulnera, & ſecundum hos faciet Præſes Reum pœnam ſolvere, prout ſui honoris velint memores eſſe & famæ, & ſecundum quod ſigna apparent æſtimantes: Quicunq; verò ex illis VI. quos præ-

Præſes nominavit legitimè, non vult venire, & eſt abſq; impedimento, ſolvat III. marcas, more ſolito dividendas Regi, Actori & Contractæ.

CAPVT XI.

De dante alapam perticâ vel lapide alicui.

QVandò quis dat alteri alapam per perticam vel per lapidem, & hoc fiat ante valuas Eccleſiæ, vel in convivijs, aut alibi ubi conventio hominũ eſt, ſi duo ſunt teſtes qui præſentes fuarunt & viderunt, ſolvat talis III marcas ſolito more partiendas; Quod ſi non habet teſtes, & non apparent ſigna, purget ſe tunc ille cui delictum imponitur manu ſextâ compurgatorum, & ſit libet à pœna, illamque purgationem facere tenetur in Placito; Vbi verò alapa data fuerit ut nunc eſt dictum, & non ſunt ſigna de hac, conquerens nemo audiatur niſi Actor qui injuriam paſſus eſt.

CAPVT XII.

De mutuò confligentibus, quorum alter moritur, & alter vulneratur.

QVandò duo congrediuntur irâ commoti, & alius occiditur, alius verò vulneratur, ibi pœna eſt ſolvenda pro mortuo, & pro vulnerato nulla; Quod

si ambo supervixerint & mutuò vulnerantur, at alius plus alius minùs, solvatur pœna pro illis prout vulnera fuerint æstimata.

CAPVT XIII.

De vulneribus mulieri inflictis.

QVandò mulier vulneratur graviter vel leviter, vel percutitur mulier, sit ejusdem juris in vulneribus cum viro, nisi mulier sic percutiatur vel vulneretur ut faciat abortum; Augetur siquidem tunc mulcta sibi debita cum IX. marcis, quæ cedit illi tantùm: Quod si mulier vulnerat virum mulctatur ut vir, & fiat executio apud ejus Tutorem, solvaturq; pœna de bonis ipsius.

CAPVT XIV.

De vulneribus inflictis, undè quis moritur infra annum & diem.

QVandò quis vulneratur in capite, vel transfoditur, aut aliàs qualitercunque percutitur seu vulneratur, sint vulnera qualiacunque undè mors potest sequi, debet tunc ille qui vulnus inflixit curam habere vulnerati, donec transeat annus & dies postquàm vulnus fuit inflictum; Quandò autem quis ab aliquo vulneratur vel percutitur, & percutiens

tiens solvit pœnam Actori, Regi & Contractæ, ac Actor dat quittãtiam; At vulneratus deindè moritur postquàm pœna est soluta, priusquàm tamen exspiravit dies & annus à tempore inflicti vulneris, non potest posteà Actor vindicare; Sed accipiat mulctam à Lege statutam, hocque computetur in pœnam quod est solutum, & posteà illud exigatur per justiciam quod restat solvendum, Rex quoq; & Contracta sint contenti de levato.

CAPVT XV.

De occidente vel vulnerante alium in agro proprio.

QVandò aliquis accedit aliquem eo animo, quòd velit patremfamilias, aut aliquem de ejus familia lædere in agro vel prato, in autumno vel vere, aut percutit, occidit vel aliàs sanguinem fundit patrisfamilias, vel alicujus de ipsius familia, est tunc pœna duplex illius qui accedit, & quod ipse patitur nullam mulctam meretur; Sed si in agro non ex antiquo odio, verùm subitò rixari incipiunt in agro vel prato tempore messis, undè sequitur vulneratio, solvant tunc pœnã prout dicitur de pœnis vulnerũ de cujuslibet facto, at nihil pro immunitate violata, cognoscatq; Nẽpda Contractæ quid in hoc sit verũ.

CAPVT

CAPVT XVI.

De vulnere illato per minorennem.

QVandò minorennis infligit vulnus graviter, qui est plusquàm VII. annorum, & minor quàm XV. solvat XII. oras pro vulnere, & XII. oras pro deformitate, si ibi deformitas apparet: Quod si minus delictum fecit, ut est livor, vel levior effusio sanguinis solvat III oras; Si verò minorennis VII annorum vel infra, vulnerat aliquem nihil solvit: In illis pœnis quas minorennis solvere debet, Actor totum recipiat, & nihil Rex vel Contracta.

LIBER

LIBER DECIMVS QVARTVS
DE
JVRE SVECORVM
Gothorumque circa vulnerationes fortuitas.

CAPVT I.

De vulnerante præter voluntatem.

QVandò quis vibrando arma, & alius in medio constituitur, ac vibrat seu vulnerat præter voluntatem, amputans nasum, aurem vel eruens oculum, aut vulnerans in facie vel mento, sic quòd habeat indè perpetuam deformitatem, vel amputans pedem aut manum casualiter, solvat III. marcas ratione casus, & III ratione deformitatis; Quod si quis alia infert vulnera gravia, ubi non amputatur membrum, solvat III. marcas pro vulnere, & nihil ratione deformitatis.

CAPVT II.

De vulneribus undè sequitur contractio vel membri debilitatio.

CVm quis alium vulnerat in dorso, vel brachium rumpit aut tibiam casualiter & graviter, tamen menbrum non præscinditur, talisq; vel contrahitur vel perdit usum menbrorum, & remanet perpetua deformitas, solvantur III. marcæ pro vulnere, & XII. oræ pro deformitate: Quod si quis amputat alteri pollicem casualiter vel alios digitos, vel posteriorem partem pedis, solvat XII. oras pro vulnere, & XII. oras pro deformitate; Si quis amputat illum digitum qui pollici proximus est, solvantur VI. oræ pro vulnere, & VI. oræ pro deformitate; Quod si quis amputat sequentem digitum, sit eadem pœna; Pro annulari digito III. oræ pro vulnere, & III. oræ pro deformitate; Minimus digitus sit sub eadem pœna: Quod si quis alteri amputat casualiter pedicam, sit ista pœna de pedica quæ est de digito, præter pœnam deformitatis quæ sit in duplo minor.

CAPVT

CAPVT III.

De casuali damno quod infertur cùm ex manu aliquid emittitur.

CVm quis lapidem proijcit aut, perticā pro trudit, vel sit quodcunq; quod ejicitur, & cadit priusquā damnum infert, sed exilit à lapide vel domo vel trunco, & non prævidet casum, tales casus dicuntur absque manu; Quod si est aliquis ibi obvius constitus & læditur, aut damnum aliud suscipit, ut est dictum, sit tunc pœna pro vulnere in duplo minor quàm priùs est dictum: Quanquàm etiàm cum hoc concurrant deformitates, illæ quoq; secundum qualitatem suam pro duplo minori æstimentur.

CAPVT IV.

De læso casualiter, & de casu qui dicitur absq; manu.

CVm quis percutitur ex casu qui dicitur absque manu casualiter, qualitercunq; hoc accidat, & manus non ad hæret instrumento quo læsio fit, vel truditur supra manum ità quod digiti contrahūtur, non tamen eorū usus perditur, sit pœna pro pollice ratione deformitatis III. orarū, sequens digitus III. orarum, longior digitus similiter, sequens unius

loræ, & minor digitus loræ; Quod si pes truditur in casu qui dicitur sine manu, ità quòd pedicæ contrahantur, sit tunc pœna pro qualibet pedica in duplo minor ratione deformitatis quàm pro digito.

CAPVT V.

De damno illato ubi arma non inveniunt obstaculum priusquàm lædunt.

QVandò quis vulnerat graviter vel leviter, vel sagittat ità quòd non inveniat res emissa de manu obstaculum priusquàm infert damnum, hoc non est casualiter factum, nisi ille consentiat qui læsus est & qui læsit.

CAPVT VI.

Quomodò pœna exhibenda est de damno quod fit per casum, qui dicitur absq; manu.

VBi damnum casuale contingit quod sine manu appellatur, hoc est, dùm priùs obstaculũ invenit quàm lædit, vel proijcitur aliquid per domum, & non attenditurr ubi cadit, vel fit casus quicunque qui sine manu dicitur, ibi potest ille qui damnum intulit, afferre mulctam quæ est statuta pro

pro damno casuali, & juramentum casus fortuiti præstare, quamvis Actor recuset juramentum vel pœnam levare: Vbicunq; verò contingit fieri deformitatem in pœnis fortuitis, ità quòd membrum non sit amputatum, debet tunc pœna pro deformitate remanere, donec profluxerit annus & dies, & tunc cognoscant viri VI. de Contracta, utrùm læso debeatur mulcta pro doformirate vel non, & solvatur pro pœna deformitatis junioribus sicut senioribus.

CAPVT VII.

De vulnere illato per canem vel brutum aliud.

QVandò canis mordet quemquã, det tunc possessor canis canem, vel solvat VI. oras; Quod si ille qui à cane lædebatur, sentit aliquam deformitatem ex hujusmodi morsu, sit tunc multa deformitatis quãta est mulcta vulneris: Quod si possessor negat hoc esse factum per suum canẽ, aut sua iumenta, incũbit tunc onus probandi illi qui passus est damnũ, quòd per suum jumentũ aut canẽ sit factum;

CAPVT VIII.

De pœna portantis pugionem.

QVicunq; de familia hominis liberi, sicut sunt coloni qui Rythia vocantur, vel alij coloni

& eorum familia, molendinarij, inquilini, mercenarij, rustici & eorum filij illisque servientes, nisi sint servitores seu vernulæ qui sequuntur dominum suum caussa libertatis quærendæ, portaverint purgionem vel alia arma, Rytingh seu Wedhemeth vulgò dicta, & in hoc cum duobus testibus deprehensi fuerint, solvant pœnam III. marcarum Regi, Actori & Contractæ; Sit autem ille Actor qui tales deprehendit: Quod si non sufficit Reus ad pœnam solvendam, debet tunc Præses in Placito perforare cultello manum illius: Quod si hoc delictum alicui objcitur, purget se juramento sextâ manu præstando.

LIBER DECIMVS QVINTVS ET VLTIMVS,

DE JVRE SVECORVM

Gothorumque circa Furta plectenda.

CAPVT I.

De fure domestico vulgò Gärtiuff.

CVm quis furatur alterius rem, ovem, bovem, suem capram, vel quicquid furatur in domibus, vel extra in campis quod est unius anni, & portat in sylvas vel latebras, ibiq; consumit, vel in domo propria vel aliena, talis dicitur vulgariter Gärtiuff; Quod si talis capitur & res furtiva cum illo, debet ligari & ad Placitum duci cum re illa, & testificetur ibi juramento XII. quod ipse sit verus fur illius rei, quæ illuc secùm deferebatur: Postquàm verò hoc factum est, tunc adjudican-

dicandus est patibulo, & nulla mulcta solvitur pro eo, Sed de ipsius bonis mobilibus capiat Rex unam partem, aliam Actor, tertiam Contracta.

CAPVT II.

De fure habente societatem, vel privignos aut filios.

QVandò fur habet societatem, aut privignos vel filios qui bona habẽt indivisa cum ipso, talia ipsis salva remanebunt, nisi probaretur sufficienter quòd aliquis eorũ unà furatus sit, vel furta custodiverit & consumpserit cum ipso; Quod si non ità est, oportet illorum partem primò segregare.

CAPVT III.

De fure domestico uxorato.

SI fur domesticus est uxoratus tunc separetur primùm portio uxoris, nisi probetur sufficienter quòd ipsa custodiverit furta & cum eo consumpserit, atq; ità si damnum passus vel Exactor regius dicit uxorem esse in culpa, illi tunc incumbit defensio, purgetque se duodecimâ manu quòd ipsa nunquàm custodiverit, aut usa fuit eâ re quam

scivit esse furto ablatam; Quod si non potest talem defensionem facere, vadant tunc ipsius bona mobilia in solutionẽ pœnæ sicut mariti; Sed si potest suam purgationem facere, sit immunis à pœna: Si quis dicit illos esse in culpa qui in societate fuerunt, purgent se illo modo quo uxor mariti; Qui deniq; fur domesticus est, ut jam est dictum, punietur in vita & bonis mobilibus.

CAPVT IV.

De fure quandò non deprehenditur in recenti.

QVandò fur non fuerit deprehensus in recenti scelere, & si sibi objcitur simile crimen, debet tunc Nempda Contractæ ipsum absolvere vel condemnare; Quod si condemnatur, restituat Actori quod furatus est, & XL marcas solvat pro pœna dividendas inter Actorem, Regem & Contractam, nec perdat vitam, nec ipsius bona confiscentur: Quod si absolvitur, in nullo puniatur: Quod si quis furatur aurum, argentũ vel pecuniam, equum, vestes, arma vel qualecunq; sit cujus valor transcendit valorem mediæ marcæ, & captivatur in recenti scelere cum re furtiva in manibus, talis ligetur & ad Placitum deportetur, ac ibi probetur ut priùs est dictum, sententiaq; detur & suspendatur impunè pro delicto per eum commisso.

CAPVT V.

Quandò alicui objcitur quòd commiserat furtum, & non est deprahensus.

QVandò objcitur alicui quòd utiq; furtum commiserit, tamen non est in ejus manibus aliquid deprahensum, neq; cum legitima inquisitione in ejus domo repertũ pro quo ipse respõdere teneatur, neq; legitimè doctũ quòd in manibus sit visum vel ab eo obtentum, debet tunc Nempda ipsum aut absolvere aut condemnare: Quod si condemnabitur, restituat Actori quod perdiderat, & solvat XL. marcas Actori, Regi & Contractæ, nec perdat viram neq; ipsius bona confiscentur; Sed si absolvitur, in nullo puniatur.

CAPVT VI.

De furto quod majus tribus Oris, & minus quàm media marca.

QVandò quis furatur III. oras, & minus quàm mediam marcam, & capitur ac res in ejus manibus deprahenditur, talis capi & ligari potest & ad Placitum deportari cum re furtiva, resq; illa ibi æstimetur, ac duodecim illi cognoscant jurentq; eum

eum verum furem, sententiabit tunc Præses eum debere flagellari & aures perdere utrasque.

CAPVT VII.

De furto quantitatis prædictæ non deprahenso.

QVod si res furtiva in furis manibus deprahensa non sit, hoc tamẽ sibi objcitur, purget se juramento XII. virorum, vel restituat quod furatus est, & IX marcas Actori, Regi & Contractæ applicandas; Nec potest suspendi pro minori quàm media marca, neq; manus ligari retrò tunc debent, sed in anteriore parte corporis ligentur.

CAPVT VIII.

De minori furto quàm III. orarum.

QVandò quis furatur ad valorem II. orarum, & minus quàm trium, flagelletur & altera auricula sibi præscindatur, sed convincendus est testimonio VI. virorum: Quod si hoc alicui objcitur, & non est deprahensus cum re furtiva, purget se juramento IX. virorum, vel restituat quod est furatus, & solvat VI marcas Actori, Regi & Contractæ.

CAPVT IX.

De furto minori quàm duarum orarum.

QVandò quis furatur aliquid minoris valoris quàm duarum orarum, hædum, agnellum, porcum, anserem vel quodcunq; aliud quod minùs valet quàm duas oras, & deprænditur in recenti, convinciturq; testimonio duorum unà cum testimonio Actoris, ligetur tunc talis ad palum & flagelletur; Quod si alicui hoc objcitur, & non fuerit deprænsus cum re furtiva, purget se manu sextà, vel restituat quod furatus est: Quicquid quis furetur minoris valoris quàm mediæ oræ, & non deprænditur cum re furtiva, purget se juramẽto III. virorum Actori, & illa pœna dicitur vulgariter Snattarebot.

CAPVT X.

De captivante & dimittente furem interventu pecuniæ.

QVicunque captivat verum furem, & dimittit eum priusquàm legitimè convictus fuerit, solvat XL. marcas, quæ tantummodò cedant Regi; Quod si fur legitimè fuerit convictus, non redimatur sed suspendatur; Si quis præsumit posteà eum facere redimi, solvat XL. marcas quæ cedant Regi tantùm,

tantùm, & qui dimittit furem non castigatum, solvat XL. marcas.

CAPVT XI.

Qualiter pro furto est inquirendum.

QVandò furtum est cõmissum, debet tunc damnũ passus mox suis vicinis intimare quid hoc est quod sibi fuit ablatum: Quod si suspicatur ad quem locum devenerat, debet tunc illuc accedere cum IV viris, & instare quòd possit legitimam facere inquisitionem, nec poterit talis inquisitio sibi denegari; Debent deindè illi duo, videlicet ille qui vult inquirere, & ille apud quem debet fieri inquisitio, sibi duos assumere, quilibet unum, deberq; tunc inquisitor dicere quid perdiderat, aut quale, & alter inquisitus respõdebit & dicet quid aut qualia ipse habeat, intrabũt tunc disbalteati, & sic inquirere quòd inquisitus in nullo lædatur; Si ibi invenitur res pro qua fit inquisitio, oportet tunc prospicere si fenestra aliqua sit in pariete adeò magna, quòd talis possit per illã injci, & res furtiva nõ est abscõsa, aut nùm sub pariete est locus patẽs, ubi talis res posset inferri, stabitur tũc ejus dicto negativo, & incũbit propterea inquisitori vel inquisito onus purgandi se duodecimâ manu: Quod si non est fenestra illic in pariete, neq; sub

pariete apertura, non admittitur ad purgationem; Quod si inquisitus denegat inquisitionem fieri, obliget se ad pœnam III. marcarum, debetq; tunc custodiri ostium, & inquisitor nunciet vicinis, emittendo à se signum convocationis, quod vulgariter dicitur **Budkaffle**, convicinos ad locum illum citando; Revertende autem Actore cum vicinis, & inquisito ad arma si vertente, si tunc inquisitus occiditur aut vulneratur, nullus propterea aliquâ pœnâ punitur: Sed si advenientes vulnerentur vel occidentur, tunc pro illis pœna solvenda duplicatur: Ast si advenientes rumpunt ostia & ingrediuntur ac inquirunt, ibiq; res furtiva invenitur pro qua inquisitio facta est, potest tunc talis inquisitus capi & ad Placitum duci, ubi judicetur ut priùs est dictum; Quod si non inveniunt quod inquisiverunt, sit inquisitus immunis à pœna pro illo delicto, & illi qui nihil invenerunt & inquisitor solvant III. marcas pro ruptura: Alij autem qui vocati fuerunt sint immunes à pœna: De domibus verò quæ seraturis clauduntur curam habeat cujus sunt, & non illorum quæ claudi non solent; Curam etiàm habeat quilibet domus illius ad quam seraturam vel clavem habet.

CAPVT

CAPVT XII.

Quandò ille obviat armis ad quem homines in Placito convocati accedunt.

QVandò homines ad Placitũ legitimè convocati aliquẽ accedunt caussa scrutãdi inquirendi vel examinandi, & inquirendus confugit ad arma & nõ vult domos aperire, aut ad pœnam se obligare, debet tunc inquirendus teneri donec domus reserẽtur seu aperiãtur; Quod si aliquẽ offendit vel lędit duplicabitur sibi pœna, & quicquid sibi infertur pro nullo æstimetur, sivè percussio sivè homicidiũ subsequãtur.

CAPVT XIII.

De cautelis observandis in emptione & venditione.

SI quis emerit ab aliquo iumentũ ungulatum, sivè ungulã dividat sivè nõ, sit quodcũq;, hoc emi debet per mediatorẽ præsentib. testib. Tallis verò mediator debet esse indigena, domũ habens in territorio ubi contractus fit, & curare ut illud quod venditur sit justè quæsitũ, quod ipse tanquã mediator alteri vẽdi procurat, ibiq; præsentes adesse debent duo testes ad minùs domicilia habentes, qui testificabuntur quòd contractus fiebat: Aurum, argentũ & quodlibet metallum formatum, navis, arma, vestes seu pannus formatus, domus clausæ, ostia & seratura quandò emuntur, debent emi cum mediatore, & testib. Stipulatio manuũ, mediatoris promissio & interventio faciunt legitimam emptionem.

CA-

CAPVT XIV.

De impetitione ſuper rebus in alicujus bonis deprahenſis.

QVandò aliquis alteri abijcit quod ſua eſt res quam talis habet, ſit iumẽtum dividens unguam vel non, aurũ, argentum, arma vel pecunia, vel ſit res quæcunq;, præſumitur tunc pro poſſeſſore, & poteſt ſe referre ad educationem ſi vivum eſt, vel ad domus appropriationem ſi aliud quàm vivum eſt: Quod ſi valet mediam marcam vel plus, defendat ſe XII. virorum juramento, & ſi ſufficit ad talem defenſionem cum teſtibus, rem retineat; Sed ſi deficit in tali defenſione & teſtibus, ſolvat IX. marcas Regi, Actori & Cõtractæ: Quod ſi res valeat II. oras & minùs quàm III. defendat tunc illam II. teſtibus & VI virorum juramento; Sed ſi res valet unam oram, & minùs quàm duas, defendat rem illam II. teſtibus & juramento III. virorum; Quod ſi deficit in juramento, det rem quæ impetitur, & III. marcas pro pœna Regi, Actori & Cõtractæ; Quod ſi minùs valet quàm oram, defendat rem per II. teſtes cum proprio juramento: Quod ſi deficit in teſtibus, tradat hoc quod impetebatur, & ſolvat VI. oras Actori tantùm.

CAPVT

CAPVT XV.

De impetitione rei quandò poſſeſſor remittit ſe ad illum à quo acquiſivit.

QVandò poſſeſſor rei impetitæ remittit ſe ad illum à quo rem acquiſivit, & dicit ſe emiſſe, conduxiſſe vel pro pignore ſuſcepiſſe, aut ſibi accommodatum eſſe, vel cum intimatione legitima apprædendiſſe, & dicit ſe ſcire per quem dominium tranſlatum ſit in ipſum, debent tunc II. domiciliarij tanquàm depoſitarij illius rei dari, & poſteà poſſeſſor illum qui dominium tranſtulit quærat, & teſtes adducat infra III hebdomadas, ſi eſt infra limites Contractæ; Quod ſi eſt extra Contractam & extra territorium ac legiferatum, tamen in regno, habeat tunc inducias III. menſium ad probandum dominium; Quod ſi eſt extra regnum, tunc probet dominium infra diem & annum: In iſtis verò terminis jam dictis ſi produxerit illum à quo accepit, ſit à pœna immunis, & ille reſpondeat ad cauſſam ad quem poſſeſſor ſe remiſit.

CAPVT XVI.

De eo qui se ad alium remittit, & tamen eum habere non potest.

QVandò quis nominat quo titulo possidet ac mediatorẽ & testes, sed eos adducere non potest in terminis sibi legitimè ad hoc præfixis, ut jam est dictũ, debet tunc allegare legitima impedimenta & sunt ista: Quòd in lecto ægritudinis decumbit, vel quòd est in servicio regni, aut quòd non potest venire propter suos inimicos, vel quià incendium patitur, aut deniq; quandò est extra regnum, & probandum est per duos domiciliarios, si aliquod horum impedimentorum duxerit allegandum: Quod si ipse abduxerit illum qui damnum trãstulit, tunc provideat ille sibi in allegando à quo rem acquisivit, & si intimationem debitam fecit, at ille in nullo puniatur, qui illum à quo accepit adducere potest.

CAPVT XVII.

Quandò is qui transtulit & testes non possunt haberi.

QVandò quis non potest illum qui dominium transtulit producere, debet tunc illum qui fuit mediator producere & testes, posteà debet mediator venditorem producere, atque si illum producit liber est: Quod si non potest venditorem producere, debet tunc mediator probare quòd ipse fuit mediator in illa emptione, idq; probabitur per testes quod ille fuit mediator, & illi fuerunt testes pro utraq; parte, relaxeturq; tunc illud quod arrestatum fuit pro eo, & nulla solvatur pœna; Copulator solvat Actori precium rei emptæ, ad quam ipse vendendam copulator fuit,

CAPVT XVIII.

De copulatore negante se copulasse.

QVandò copulator negat se copulasse, si tunc potest ille qui emit habere testes emptionis suæ, qui debẽt esse II domiciliarij qui præsentes fuerunt, præster tunc juramentum per XII. viros, & sic optet sibi Deum esse propitium sicut talis fuit copulator ad illum equum, vel sit res alia quæcunq;; Quãdò res inquiẽs talis per me empta fuit isti fuerunt testes, & propterea teneris tu copulator in me dominium transferre, vel pro re quæ à me evincitur satisfacere; Quod si verò habet testes & sufficit ad præstandum tale juramentum, relaxetur tunc hoc quod arrestatum fuit, & nullam pœnam incurrat emptor, at solvat plenum precium copulator Actori.

CAPVT XIX.

Quandò emptor non potest testes producere quiâ non sunt.

QVandò deficiunt ementi testes emptionis, per quos debet copulator convinci, stetur tunc dicto copulatoris & pro eo præsumitur, probetque juramento XII. virorum, quòd nunquàm fuit copulator in tali emptione, & propterea non teneatur ad aliquam dominij translationem; Quod si potest tale juramentum præstare sit immunis à pœna: At qui non potuit assignare illum à quo rem habuit, sit culpa furti apud ipsum, & tradat quod arrestatum fuit, solvatq; XL marcas; Eodem modo procedatur ad assignandum à quo res sit obtenta, & solvatur pro pœna ut est dictum in similibus furtis; Pignora etiàm oportet eodem modo probare, assignando per quem fuerunt impignorata.

CAPVT XX.

Quandò res allegatur esse alicui accommodata.

SI ille potest pro quo res aliqua impetitur, probare quòd illam habeat ab aliquo conductam, vel accommodatam sibi, debet tunc res arrestari & si supervenerit ille qui dicit rem esse suam, & locasse aut accõmodasse illi pro quo fuerat arrestata, portet

tet tunc ille onus qui suis humeris hoc imposuit, sitq; tunc onus apud ipsum, assignãdo illum à quo acquisivit; ille verò sit liber qui illum undè quæsiverat assignavit: Quod si ille qui nominatus est tanquàm à quo res sit acquisita, dicat quòd nunquàm talem rem illi locavit nec accommodavit, de hoc cognoscat Nempda Contractæ.

CAPVT XXI.

De parte debita illi qui furem captivat.

QVandò captivatur fur & res furtiva cum ipso, tunc acquirit captivans omnia quæ fur secùm habet, & suum proprium est; At ille recuperet suum à quo aliquid per furtum est ablatum.

CAPVT XXII.

De sacrilegis.

CVm quis furatur in Ecclesia vel Cœmiterio ab aliquo, vel ab Ecclesia ipsa, vel quod in ejus custodia est, vel rumpit Ecclesiæ parietes, ostia vel fenestras, si talis in recenti crimine apprehenditur, nõ gaudeat majori immunitate quàm si in alio loco caperetur, & convincatur pro suo delicto, illamq;

sententiam in se suscipiat quam fur meretur, secundum quod compertum sit eum commisisse delictum: Si verus Actor supersit agat ipse contra furem, aliàs Tutores Ecclesiæ & parochiani constituent se Actores

CAPVT XXIII.

De furibus fructuum.

QVãdò quis furatur poma ex alterius pomario, si paterfamilias aut ejus familia talem apprænhendit, ejus vestimenta vel alias res pro interfigno habens, idq; potest probare II. testib. solvat fur III. marcas & reficiat damnum, nec se purgare volens audiatur; Si verò acciderit ibi homicidium, vel vulnus alicui infligatur, dupletur pro illo quod infertur familiæ possessoris, at quicquid patitur sic deprænhensus pro nullo æstimetur.

CAPVT XXIV.

De præcidente arbores in pomario.

QVandò quis in pomario præscindit arbores, pomum aut aliam arborem fructiferam in alterius pomario, solvat III. marcas; Quod si rumpit ramum in arbore fructifera, solvat VI. oras, si fuerit

fuerit cum testibus apprænhensus: Quod si aliquid talium alicui abijcitur, purget se juramento XII. virorum, vel solvat pœnam ut priùs est dictum.

CAPVT XXV.

De fure hortorum.

CVm quis intrat alterius hortum vel cauletum, & furatur porros, aromata vel caules, & apprænhenditur, solvat III. marcas reficiatque damnum: Quod si non fuerit deprænhensus, purget se juramento XII. virorum: Si verò quis furatur pisa, rapas & fabas ac apprænhenditur, solvat pro pondere in humeris portabili, vel pro plaustro, aut pro onustatione cymbæ, vel pro clitella III. marcas tribus partib. applicandas; At pro pondere portabili Actori soli seorsùm VI. oras; Quod si alicui hoc objcitur, purget se juramento XII. virorum, vel solvat pœnam ut est dictum.

CAPVT XXVI.

De furibus lupuli.

QVandò quis furatur lupulum ex lupuleto in insulis vel scopulis, vel ubicunque crescit, & apprænhenditur, potest ligari & ad Placitum duci ibiq;

ibique judicari; Sed vitam retineat & in corpore puniatur, fustigetur vel mutiletur prout deliquerit; Quod si hoc alicui objcitur, purget se secundum quod res objecta se haber, vel solvat pœnam ut priùs est dictum.

CAPVT XXVII.

De furantibus pisces.

QVandò quis furatur pisces ex retibus vel alijs vasis, vel hamis aut alijs instrumentis pro capiundis piscibus aptatis, & appræhenditur in hoc, solvat III marcas; Quod si furatur retia vel alia instrumenta pro capiundis piscibus exposita, plectatur pœnâ furis secundum quod res fuerit æstimata.

CAPVT XXVIII.

De furibus familiam alicujus corrumpentibus.

QVandò objcitur quod quis familiam alicui corrupit, & per eam furtum commisit, purget se juramento XII. virorum, vel solvat III. marcas.

CAPVT

CAPVT XXIX.

De Exactore furem dimittente.

QVandò quis legitimè captivat furem suum, debet tunc eum tradere regio Exactori, qui si euaserit respondeat tunc Exactor caussæ, sicut furtum passus respondere deberet si ille furē dimisisset.

CAPVT XXX.

De divisione rerum inventarum.

QVi res aliquas invenerit in via vel extra viam, sit res qualiscunque, talis hoc nunciare vel intimare debet viatoribus qui secùm sunt in via, vel obviam veniunt ei; Sed si tales non sunt, intimet in propinquiori villa, & intimet etiàm parochianis, & in Placito Contractæ atq; in Placito territoriali: Si ille qui perdiderat venerit priusquàm sit talis intimatio facta, & adducit interfigna vera, præstet tunc juramentum ipsemet tertius, & recipiat suum sine eo quod aliquid solvat : Sed si talis non venerit qui suum dicit infra annum & diem, capiat Rex duas partes, & tertiam pro se retineat inventor.

CAPVT XXXI.

De divisione rerum inventarum post intimationem factam.

QVandò inventor testes habet quòd ipse legitimam intimationem fecerit, præstet tunc juramentum illemet tertius qui rem perdiderat & recipiat suam, & tertiam partem retineat qui juvenit secundum quod æstimatores dixerint, sivè res sit vilior sivè melior: Quod si quis allegat se habere testes intimationis & deficit in illis, tunc solvat pœnam & fur vocetur; Pœnam autem solvat juxta delicti quantitatem.

CAPVT XXXII.

De rebus inventis extra Contractam.

QVandò aliquid invenitur extra Contractam, illud est portandum ad proximam villam, & ibi deponendum ac intimandum; Quià nulla res inventa potest extra Contractam portari in qua inventa est, priusquàm transivit annus & dies, vel verus Dominus illam requirit.

CAPVT

CAPVT XYXIII.

De jumentis domitis inventis.

QVod si quis inveniat alterius jumentum, equũ vel equam, vel domitum taurum, hoc possessor jurare debet esse suum ipsemet tertius, & recipiat suũ sine precio, inventorq; faciat excusationem suam cum testibus intimationis per se factę; Sed cum equo, equa vel tauro domito potest operas suas facere, & in negotijs proprijs ire per Contractam, ast non extra eam postquàm legitima intimatio est facta in Placito, & secundum hoc legitimè sententiatum, absque incursu alicujus pœnæ, donec verus dominus rem suã repetiverit; Quod si quis utitur operâ talium ad aliquam suam utilitatem procurandam, priusquâm legitima intimatio est facta, solvat III. marcas.

CAPVT XXXIV.

De iactatione ex navibus mercium.

QVod si inveniuntur res ex navibus ejectæ in aqua salsa vel dulci, ubi verus Dominus non est præsens vel nuncius ejus, & nescit quo sua devenerant, illeque qui invenit legitimè intimat, tunc

tũc tertia pars est ejus qui invenit, & duæ partes Domino cedant qui sua perdiderat iisq; cum veris intersignis & duobus testibus recuperet suum: Quod si non venerit infra annum & diem, cedant tunc duæ partes Regi, & tertia invẽtori: Sed si quis aliquid invenerit in fundo aliquo & legitimè intimat, tũc res inventa retineatur per inventorem, si nemo venerit qui suam esse dicat, & legitimè hoc ostenderit, ut priùs est dictum, capiatq; unam medietatem Rex & aliam inventor.

CAPVT XXXV.

Quomodò quis in rebus inventis excusetur à furto.

QVotiescunque aliquis aliquid invenerit, tunc debet excusationẽ suam facere propter furtũ, primò cum testibus intimationis, & postea juret verus Dominus rei inventæ rem suam esse ipsemet tertius, ac deindè recipiat quod suum est: Omnes verò juvãtes extrahere bona ex igne, vel ex aqua, vel propter hostes adveniẽtes, nè concrementur, perdantur vel rapiantur, tantum accipiant de bonis, quantum Dominus illorum bonorum vult ipsis dare.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

De utente rebus vel iumentis aliorum absq; scitu vel consensu.

QVod si quis capit alterius jumentum non conductivè neq; accommodativè, sivè sit equus sivè equa, & vehit aut equitat vel aliud quid operatur cum illo, ac talium jumentorum Dominus insequitur, talemq; captivat cum jumento, debet tunc talis ad Placitum duci, & sit in potestate capientis eum convincere ut furem vel latronem sicut Leges volunt.

Summa Legis.

Lex sacra, Rex, Sponsus, Hæres, tellusq; struatur,
Comparat & Placitat, Edzöre, Högmål moritur,
Vulnus subsequitur, postremò fur reperitur.

FINIS.

Legisterij regni Sveciæ secundum antiquam compilationem, in latinum traducti de Svecico per eximium virum & Decretorum expertissimum interpretem Ragvaldum Ingemundi, Metropolitanæ Ecclesiæ Vbsalensis Archidiaconum venerandissimum.

Benevolo Lectori Salutem.

IAndem, Lector candide, Legis Suecicæ absolvimus volumen, spacio bimestri propemodùm renatum, typis aratum & publicatum, nunc proindè à tua poscētes Humanitate, ut illud benevolo acceptes & pervolvas genio & ingenio, pariter hæc quâ par est benevolentiâ & diligentiâ considerando & observando: Inprimis quidē quòd velim probè intelligas, Ius istud Ecclesiasticū Sueōes hodiè nequaquàm majori ex parte usurpare, illius vice, donec emēdatius prodierit, jure Divino, Ordinantiâ Ecclesiasticâ, & synodalibus quibusdā Decretis prudenter utentes: Deindè hoc quoq; te ignorare nolo, quòd Reges Suecorum à Gustavi primi temporibus in hodiernum usq; diem, per successionem non electionem regni Diademia capessant, gravissimis de caussis anno M.D.XLIV. Arosiæ unanimi & libero omnium Ordinum consensu, Legis mutatione factâ Libro II. capite III comprehensæ; Sicut etiàm alia in hoc Iuris volumine non pauca pro temporis, Indigenarum & rerum commoditate anteà & postemodùm in foro utroq;, non tamen propter venerandæ Majestatem antiquitatis, ipsō Legum codice variata, quod fortassis propediem nihilominùs, ut certissimum perfectissimumq; Iuris Suecici volumen statuatur, mandandum. Nec minùs etiàm tibi exploratū cupio, vel potiùs in gratiā justitiæ volo amicè te rogatū, nè hoc libro iuris & æqui voluntatē indagans, stili simplicitate & verborū obscuritate offendaris, probè sciens non tàm quomodò sed quid dicatur à prùdentibus orationis æstimatorib. plerumq; spectari, veniam impolitæ atq; rudiori ultrò annuentib. ætati. Quāquàm etiàm emendatiore & turgidiore dictionis genere hunc iustitiæ contextum donassem, nisi vetustatis Majestate deterritus, & prudentissimorum quorundam virorum consilio admonitus, consultiùs supersedendum decrevissem, meo in Patriā, & Leges Patriæ, Translatoremq; priscū ratus abundè amorime satisfecisse, quòd præsens volumē Titulo conveniente, præfatione, in certos libros distinctione & inscriptione capitum assignatione, & non paucorū in latino textu prætermissorū novâ conformiq; translatione, mutilati aliàs, obscuri & subindè barbari contextus interpolatione, illustratione ac emendatione, Indicisq; demùm copiosissimi concinnatione decoraverim: Quòd autem nonnulli intereà in contextum irrepserint errores, ad calcem libri fideliter adnotati, illud sanè non meæ diligentiæ sed rudium Typographorum insciti & negligentiæ expensum est referendum; Etsi leviores existant, & vix animadversione digni apud syncerum & bene-

benevolum Lectorem: Quocircà arbitrans etiàm tuæ me respondisse voluntati, Opusculum præsens & me ipsum tuæ Humanitati, & utrumq; Divinæ protectioni commendo. Vale, fave & fruere.

Iohannes Messenius.

INDEX

Legum hoc volumine compræhensarum copiosus.

Actor non prosequens caussam jus suum perdit, Pag. 231. læsus quòd juridicè procedat vindicatur, p. 249.
Adulterorum pœna, p. 31. & 32.
Ædificare volenti quid ex jure incumbat, p. 147. si in campo pro pascuis assignato communibus, p. 149.
Agros dividendi lex, p. 150, pœna relinquentis eos ineultos, ib. persatos agros & prata virentia ut licet alteri vehere, 160. pœna usurpantis alienos, p. 165.
Alapam infligens ut mulctatur, p. 309.
Appellatio ut permittitur, p. 235, 236.
Apum lex recuperandarum, p. 192.
Arborem hortensem præscindentis pœna, 334. vel ramum ex illa rumpentis, ibidem.
Archiepiscopus olim Senator Regni, p. 56. quot stipatus accessit tunc Regem, p. 68.
Armorum & armatorum lustratio quãdò & quomodò fiet, 59. pœna se absentantis, 26. si equus militis tùm moritur, p. 65.
Aurum vel argentum dolosè vendentis pœna, p. 206, dolosè laborantis illud, ibidem.
Banniti uxoris & liberorum hæreditas, p. 98, 99. illum in domo foventis pœna, 252. & 279. Banni duratio, ib. Banniti proscriptio & restitutio, 253. si occidatur intra regnum, 259. si extra, vel violenter importetur, ib. illius tutela bonorum in absentia, 260. fugere nolens captiuandus, p. 274

Baptismus domesticus ut licitus, p.19. baptisterij reparatio, 27. illud contaminantis pœna, 28.
Bello profugi pœna, 63.
Brutum si hominem vulneret aut occidat, p.317.
Budkaffle *quomodò, quandò & quibus de caussis emittetur, p.230.*
Campanarij electio, officium & salarium, p.8.9.10.11.
Canem alterius occidentis pœna, p.198.199. si ille gregem vulnerat aut occidit, ibid. si hominem, 317.
Castellanus non sit alienigena, p.49.
Castrantis hominem pœna, p.257.
Caussæ alterius quandò licet se ingerere, p.71.72
Cespes ubi jure scindendus, p.161.
Citatio ut fiet legitimè, 219. citatus à pluribus ubi comparebit, p. 222. termini comparitionis post citationem, 224. si lædatur citans, p.24.
Clericus si vulneretur vel occidatur, p.37. coram quo lis inter illum & laicum determinabitur, 41.
Cœmiterij custodia, p.37.
Coëuntis cum bruto pœna, p.33.34.
Coloni & proprietarij processus circa prædium locandum, resignandum & agrarium solvendum, 133. si deficit in ædificijs, & quæ migranti secùm licet de prædio avehere, ib. illum censu rite solventem non licet expellere de prædio, p.181.
Compater fieri negantis pœna, p.19.
Commodatum æquè bonum restituendum, 209.
Contumax ut plectendus, p.219.
Confitens crimen ultrò, p.290.
Convivæ quot jure ad nuptias vel aliud epulum invitandi, p.86. invitantis plures pœna, 87.
Contributio Regnicolis quandò imponenda, p.10.

Conducens quempiam ad maleficium perpetrandum, p.25.
Custos si quid de grege perdat, 200,224.
Damno afficientis pœna, p.71.
Dana Arf. p.111.
Debitor ut solvere compellitur creditori, p.75.
Decimæ quomodò, à quibus & ex quibus solvendæ, p.12,13.14.
Dentes si alicui violenter euellantur, p.307.
Depositum ut restituendum, p.209.
Diribitorum obligatio, p.60.
Divortiorum pœna, p.81.
Dotis taxatio, 88. non obvenit liberis pro patrimonio. ibid. cedit ex maritis superviventi, ib. illam ut adultera perdit, p. 89. datur post condormitionem primam, 88. post obitum donantis exspirat, 89. solutio litis inter donantem & donatariũ, p.90.
Ecclesia quomodò ædificanda, p.1.2.3.
Ecclesiæ fundus ut à censu liber, p. 4. supellex illius & ornamenta, 5,6. consecratio, 6, & 7. si exuritur, 9. ex illa quid furetur, 8. cui prohibetur, 22, pœna suspensi ab illa per annum, ib. an quis ab illa extrahi vi possit, 27. illius violatio per coitum, pollutio & reconsiliatio, 33. si in illa quis verberetur, 248, invadentis indè redeuntem pœna, vel divertentem, ibid. Ecclesia & Rex in quibus caussis æquales eligunt iudicij Assessores, 43.
Emptio ut legitimè fit, p. 205. si facta in publico foro postea impetratur, 208.
Episcopus Ecclesiam consecrabit, p.7. circa Cœnobitarum lites solus agit. 29. perjurij mulctam levat, 33, 39. quos stipatus Regem olim accessit, 68. Episcopatus Sveciæ quot sint, 46.
Excommunicati contumacis pœna, 23. illo accedente ad Ecclesiam quid celebranti aut concionanti faciendum, 27. excommunicationis examen, 32
Executio non fit in bona permixta delinquentis, 228. modus exequendi latam Sententiam, ibid.

Falcastratio ut jure instituitur, p.195.
*Fœmina ut in matrimonium petenda,*79.*quis eutor illius.ib.*
*Festorum quorundam immunitas,*p. 42. *festa violantium pœna,* p. 35. *occidentis vel vulnerantis die festo pœna,*36. *quibus festis ex necessitate licet metere, piscari & seminare* 28.
*Filij nati ex concubina, illâ ductâ legitimantur,*p.81.*quamdiu aliàs à parentibus alendi,* 108. *legitimorum hæreditas primò extrahitur, si parentum aliquis mulctandus,*252.*ut teneantur alere parentes inopes, senescentes vel ægrotantes,* 136,139.
Fidejussio qualiter legitimè fiet, p.210.
*Fisco quæ adjudicantur,*p.111.*non fit confiscatio bonorum nisi judicio prævio,* p.258.
Fluvij communis quis erit usus inter multos, p.184,185.
Fornicatio ut objicitur & defenditur, p 108.
Fossa quomodò justè circa agros ducetur, p.150,151
Fugitivi ut puniuntur jure, & si ab insequentibus cædantur, 226.
Fundi qualiter legitima fiet divisio, p.146.*in ipsoq; ut ædificia justè ponuntur,* 147,148.
*Furantis in ecclesia vel cœmiterio pœna,*p.37,38.*fur animantium ut plectendus,*319.*ex filiorum bonis non mulctandus, nisi criminis complices deprehendantur, secùs neq; uxor,*320.*si non capitur in flagranti,*321.*furans minus quàm mediam marcam* 322. 323. *pro media marca suspendendus, ib. furtùm minus duobus oris,*324.*furem non castigatum dimittentis pœna, ib.* &337.*furti inquisitio ut legitimè instituenda,*326, 327.*si invenitur,*329.*si remittit se ad aliũ à quorem accepit illic invenram, ibid. quem si non adduxerit,* 330.*ostendendus tunc sequester actionis,*331.*si negat sequester, ib. si dicat sibi accommodatam,* 333.*furem capiuntis præmium, ib. fures fructuum,*334.*hortenses & lupuli, ib. piscium vel retium,* 336.*fur inducens familiam alicujus ad furtum, ibidem.*
Gothia quæ & ubi vera, p.45.
*Grex agris damnum inferens,*54,155.*quomodò captivandus, usurpandus & redimendus,* 156. 157.
*Hæreditas fratris major quàm sororis,*p.95.*ab hæreditate gradus consanguinitatis V. excluditur, ib. hæreditas ascendentium & descendentium collateraliter,* 96.*à pectore & collateraliter descendentium,* 97.*hæreditas posthumi ib. ut raptæ conjugis infans, post raptum natus sit hæres, ib. hæreditas ut aditur post mortuos casualiter,* 98.*bannitus, illius uxor & liberi ut succedunt in bonis consanguineorum, ib. &* 99.*hæreditas uterinorum & germanorum fratrum, item parentum post liberos defunctos, ib. &* 100.*occidens gravidã nè partus fiat hæres non succedit, ib. &* 102.*an casualiter occidens sit hæres occisi, ib. &* 103.*si hoc faciant parentes, ib. &* 104.*hæreditatis legitima divisio,*105.*lis circa hanc exorta ut dirimetur,* 106,110. & 107. *hæreditas retrograda, ib. ut illegitimi fiunt hæredes, & alij illorum,*109.*ex adulterio vel alio damnato coitu orti non succedunt,*110.*debita solvenda ante hæreditatis divisionem, ib. &* 111 *mortui sine hærede quis hæres, i b. &* 112
Hospitia publica quomodò instituenda, p. 68. *precium vendendorum ab hospite viatoribus, ib. Legifer, Consul & Senatores mulctantur, si hospitia non sint constituta, ib. pœna non recipientis viatorem hospitio,*69.& *viatorii hospitem injuriâ afficientis, ib. talis ab hospite impunè vulneratur vel occiditur,* 70.*at non item si vicè versâ, ib. hospites tales liberi ab aliis fermè oneribus,* 71.
*Immunitas domestica quousquè se extendat,*240.*justiciam administrantis ex mandato,* 249. *quorundam festorum,* 42.
Infirmorum visitatio à presbytero. p.20, 21

Infans uno lecto non collocandus cum vitrico, 109.
Incendij in villa exorti examinatio, p. 187. & 192. *illud passo ut succurrendum,* 190. *incendiarij voluntarij pœna,* 268. *modus contra illum procedendi,* 269.
Insidiatorum pœna, 247. *si nihil detrimenti infert, licet voluerit, ib. si talis occidat vel occidatur,* 291, 291.
Insani captivandi & publicandi, aliàs quod faciunt vel ipsis fit, impunè fit, 301.
Inventorum lex, p. 337, 338. *ut inventor à furto excusatur,* 34.
Iudicis iniquè damnantis & punientis pœna, p. 40. & *muneribus corrupti,* 215. *Iudicium Regale vulgò Rafft dictum,* p. 237.
Iumentum alienum lædentis vel occidentis pœna, 196. *si à iumento alio vulneretur,* 198. *si incidat in laqueos ab alio positos,* 201. *illud ad pascua in alienam insulam vehentis pœna,* 202. & *adducentis morbidum in villam sine vicinorum licentia,* 203. *conductum vel accommodatum æquè bonum restituendum,* 209. *multa illo utentis sine licentia possessoris,* 341.
Iuramenta Regi præstanda, p. 52, 53.
Legiferi Sueciæ quot, p. 44. *Regem eligunt,* 48. *dant literas de super contractibus,* 126. *illorum electio & iuramentum,* 213, 214.
Leges quomodò novæ condentur, p. 50.
Litterarum deperditarum ut possit fieri restauratio, & quo aliàs nitendum testimonio. 125. *per Regem, Præsidem & Legiferum dandæ,* 126. *in vulgari scribendæ, ib. ab Episcopo in contractibus Ecclesiasticis, & quid pro illis accipiendum,* 124, 125.
Luporum venatio, p. 169.
Lupulum colligentis in aliena sylva mulctatio, p. 201.
Maala & Matsfot quid, & cui solvantur, p. 12, 15.
Mandantis maleficium pœna, p. 257.
Mater

Mater suorum pupillorum tutrix, p. 9. *denuò nupturæ dividat à suis bona liberorum, ib. viduus similiter,* 91. *si pluries contraxerit, bonis liberorum semper indivisis, ib. pariens post obitum mariti quæ aliàs sine liberis fuit,* 910.
Matrimonio durante, validus contractus qui cum alterutro conjugum fit, posteà non, p. 124.
Mercenarius ut conducendus, terminus illum admittendi & dimittendi, & si labores negligat, p. 163, 164
Mercium ejactatio in mare, 339, *mercatoris dolosi mulcta,* p. 207.
Messoris negligentis mulctatio, 162. *metentis agrum alienum,* 165.
Militis profugi pœna, p. 36. *captum ab hoste redimet Rex, & equo occiso alium ab eodem accipit,* 64. *quamdiu liberi relicti fruuntur libertate acquisitâ per parentem,* 66.
Minorennis occidentis pœna, & occisum occultantis, 299.
Missa quandò intermittenda, p. 27. *non quòd maleficus superveniat illuc confugiens,* p. 27. & 40.
Morating, p. 48.
Molendinorum ædificatio in fluvio communi, 184, 185.
Mulgentis pecus alienum pœna, 195.
Mulierem violantis pœna, 246. *si ab illa occidatur, ib. cum illa si quis profugiat maritata,* 147. *non cadit unquàm sub pœnam violati juramenti Regij,* 255. *occidens voluntariè ut punietur,* 287. 289. *occidens vel occisa ejusdem juris cum viro,* 300. *nisi gravida occidatur, ib. vulnerans vel vulnerata,* 310.
Mutilantis inermem pœna, 24. 250. 257. *armatâ utrinq; manu,* 258. *mutilantis aliàs voluntariè,* 305. *non voluntariè,* p. 313.
Myrtum colligentis in aliena sylva mulctatio, p. 201.
Nempdarii XII. in quolibet territorio, p. 76. *illorum juramentum, ibidem, capiunt partem mulctæ à violatoribus Sententiæ Regiæ*

Regiæ, 74. de suspectis illorum licet reo 11. vel 111. reijcere, 77. puniuntur si differunt sententiam ferre, 229, 234. Nempdarij Regij ut constituendi, 232. exceptio contra illos, & appellatio ab illis quandò licita, ib. & 233.
Nobiles quomodò Regi servire tenêntur pro libertate, p. 58. 59. & 60. quandò ad lustrationem armorum venire, ib. non comparentium pœna, 62. legitima absentiæ impedimenta, ib. si vult fieri tributarius, 61. ut servient Regi plures mensâ communi viventes, 62. illorum liberi relicti quoad minorennes sunt libertate paternâ & bonis fruuntur, Regi servicium non facientes, 66, 67. quamdiu puri modo uxor relicta, 67. quomodò amittit, ib. quandò filia nobilis perdit paternam libertatem, ib. nobilis quot stipatus Regem accedet, p. 68
Nuptiarum benedictio, p. 77. nuptiales expensæ à parentibus factæ, posteà non computantur in divisione hæreditatis, p. 94
Nutricis infantem opprimentis pœna, 109
Occidens & occisum occultans, p. 263. occidens liberos & vice versâ, 264. non fit hæres occisi, ib. casu parentes, ib. propriũ Domanum, vir uxorem voluntariè, 267 si dicat casualiter factum, 268. si negat ut jurabit, ib. occidentes se mutuò, 271. occisor voluntarius captus in flagranti, ib. sed illius immunitas in ecclesia vel monasterio, 272. si in fervore ab occisi hæredibus mox erucidetur, ib. si à volentibus illum capere, quòd se defenderit, ib. sin minùs, 273. si non capitur in flagranti, ib. & 280. si comparere noluerit, 274. illum defendere volens nè capiatur, 275. vel rapiens illum de manibus capientium, ib. non capto in flagranti datur terminus ad accedendum Regem, 276. si Actor pro illo intercedat, 277. nolens solvere pœnam, ib. quantam occisor daturus, 278. quantum pro litteris salvi conductus Cancellario dedit olim, ib. occidens dormientem, natantem, vel minorennẽ, 279. occisor alienigena, ib. si capitur aliquis in hoc insons & ligatur, 281. sponte confitens & comparens, 282. pœna cooperatoris, ib. occisor moriens priusquàm legitimè fuerit convictus, ib. si moritur convictus ante expirationem termini, 283. si post, ib. terminus quem habet volens occisorem convincere, ib. hæredes solvere tenẽtur mulctam defuncti occisoris, 284. si infra annum convincitur, ib. si infra annum verus non investigatur tota punitur Contracta, 285. 286, 287. mulier occidens voluntariè, ib. capcum occisorem quis custodiet, 288. occidens laicus clericum, vel contra, 289, occisor vagabundus, ib. occidens in procincto exercitu, 292. occisoris duplex mulcta ut dividenda, ib
Occidens casualiter alium quàm intendebat, 293. occidens fortuitò hominem in venatione, vel aliàs lapide projecto, 295. si resiliendo telum occidat, ib. & 296. occidens capturis ferarum hominem in illas casu incidentem, 297. arborem incidentes, vel lapidem volventes si simul occidantur, vel alter eorum, ib. lapsus ex ponte vel in puteum, ib. si cadens ex arbore moritur 298: domus vel plustrum ruens si occidat, ib. si minorennis voluntariè aut fortuitò occidat, 299. si insanus occidat vel occidatur, 300. si parentes occidant casualiter liberos, 301. si bruta tum hominem, 302
Passagiorum latitudo, 187
Pauper jure quis, 17
Pecus alienum suo signantis signo pœna, 195
Perjurij mulctatio, p. 233. 38. 39.
Permutatio & emptio ut legitimè fiens, 127. inter civem & rusticolam facta, ib.
Pecia quid sit, & quomodò comparanda, 162.
Pignora ut redimenda, p. 210

Piscium conglomeratione licet die festo piscari, 28. piscans sine licentia in alienis aquis, vel aliquid illic destruens, p. 162. 187.
Placitum quomodò & quandò fiet, 117. quomodò intimabitur, 216. quoties in Contracta celebrandum, 217. quoties in territorio, ib. si illic quis percutiatur, 248. invadens redeuntem indè, ib. ladens ib. divertentem aliò, 262.
Pomorum rapina, & si illic occiditur raptor,
Pontis quanta esse legitima latitudo, 143. si ex illius ruina quis damnum patitur, ib. & 144. 145. quandò pontium fiet lustratio, p. 146.
Possessio triennalis quandò ratificanda, 128. possidens iniquè multatur, 129. possessio communis ut locanda & lis super illa exorta ut dirimenda, 188.
Pratorum custodia qualis erit, 162. in illis sine licentia meiens, 165. 261.
Prædonum pœna,
Præsidis electio, 214. uni Contractæ unus præsidet, 216. quoties præsidebit in anno, 220. tenetur in uno placito causam decidere, 223. illius sententiam violantis pœna, 236.
Presbytero providendum de fundo & domibus, p. 3. 4. ut ædificare tenetur, vel ruinas domorum solvere, 5. illius electio à parochianis, 8. reditus in Pascha te, 14. ex funeribus, 15. 16. ut visitabit infirmos, ib. reditus ex benedictione nuptiarum, introductione post partum, 17. 18. quandò celebrare tenetur, 18. differens infantem baptizare, 19. funus benedicere negligens, 21. non visitans infirmum rogatus, ib. illius legitima impedimenta, ib. excommunicans vel excludens aliàs ab ecclesia injustè, ib. non celebrans die festo, 22. quæ legitima impedimenta, ib.
Pugionem servo portanti eodem manus illi perforanda, 317.
Punientis aliquem injuste pœna, 256.
Pyratarum multatio, 261.
Quercum ut licet exscindere, p. 168.

Raptorum & comitum pœna, 261.
Reus comparens citatus, 219. ut testibus convincendus, 220. si ille comparet, Actor non, 221.
Rex unicus Sveciæ totius, p. 47. succedit in bonis non extantibus hæredibus, ib. illius electio & peculium, 48. illius filij olim proximi ad Coronam si idonei. ib. ejus juramentum, ib. & 51. non rapiet bona alterius nisi juxta Leges, p. 49. undè se & suos sustentabit, 50. quandò illi licet exactiones regno imponere, ib. quomodò judicabit, 52. ipsi jurent in Coronatione subditi, ib. in quantum illi stare juramento tenentur, 53. lustrabit regnum post electionem, 54. 55. quomodò illum indigenæ excipient & deducent per suas ditiones, ib. ut coronabitur Vbsaliæ, 55. eliget mox Consiliarios, 56. pœna ipsi obloquentis, 57. vel quomodolibet sese illi vel regno opponentis, 266. inducentis exercitum contra ipsum, vel patriam, 267, quomodò & quas nuptiales donationes faciet, 57. Regis litteras violans, 75. vel Sententiam transgrediens, 74 in campis ipsius venaticis non licet venari, 75, causas recognoscit iniquè judicatas, 237.
Sacrilegorum pœna, 333.
Sacramentum eucharistiæ in processione comicantium immunitas, p. 41. illud furtivè contra prohibitionem sumens, 42.
Sententiæ exequendi modus, p. 225.
Senator Regni non sit alienigena, p. 49. illius electio & juramentum, 56. pœna illi obtrectantium, 57. quot debent esse Senatores Regni, 56. quot stipatus Regem accedet senator, 68.
Sepium cura quomodò habenda, 152. si comburantur voluntariè, 154, quandò perfectas circa agros & grata oportet illas esse, 155. si damna per illas ruptas grex inferat, ib.
Servo damna in obsequo domini accepta compenset dominus, 64.
Societas negotiationis quomodo jure ineunda, 139.

Sponsalia quæ legitima, 29, 80. sponsorum trina ex suggestu promulgatio, 31. sponsus violans sponsam ante benedictionem, 80. invitis parentibus nubens, 81. sponsa illegitimè sponso denegata per vim jure rapitur, 82. 83. quæ legitima impedimenta celebrandæ copulationis, 82. Quâ verborum formâ traditur sponsa sponso à Tutore, 83. si rapiatur injustè ab aliquo, 84 si ille vel illa moriatur ante domus vel thori primam ingressionem, 85. illâ factâ, est vir caput mulieris, & illi dotem daturus, ib. sponsæ licet post nuptias dare ecclesijs vel monasteriis sua vestimenta nuptialia, non verò histrionibus, ib. contrahens cum duabus vel nubens duobus, 265.

Sues ut licet immittere sylvæ glandinariæ, 158. 159.

Suecici Regni legitima divisio & descriptio, 46.

Sylvam alienam sine facultate exscindens, vel aliquid indè evehens, aut ipsam incendens, 166. 167. 168. in aliena etiàm non licet venari, 169. sylvarum distinctio, 171. sylvam pro siligine vel rapis seminandis exustam quàm diu licet colere, 183. si igne casuali flagret, 191. in alienam gregem suum pellens. 202. corticem vel suber indè carpens, 201.

Termini ut designandi, lustrandi, & si quid circa illos fit iniustè, ib. 166. quot ponendi lapides pro illorum designatione, ib.

Terram fraudulenter possidens, 74. quandò tributaria potest fieri libera & vice versâ, ib. & 75. non plus terræ tributariæ à Libero emendū quàm ipse colat, ib. terra quibus modis justè acquiritur, 113. injustè acquisita ut fiat justa per præscriptionis diuturnitatē, 114. vendenda priùs cognatis præsentanda, ib. mulcta secùs facientis, 115. ut æstimanda, ib. & lis dicenda si de illius publicatione contendatur, ib. vel si cognati propinquitate certant in emendo, 116. si maritus vult terram uxoris vendere, ib. terræ conductis & oppignoratio ut justè fit, 117. si minorennis vel absens peregrè proximus sit ad illam emendam, 118. quomodò & quo precio terra redimenda. b. 119. modus illam oppignorandi, ib. terra propriâ industriâ alicujus nō per hæreditatē acquisita, ut vēditur, 120. omnis alienatio terræ in Placito fiet, ib. & quomodò, 131. si iniquè pervenit successivè ad plures, plectēdus alienator primus injustus, 123. emptionis cautelæ, 122. terra minorennis, virginis vel fatui ut justè venditur & repetitur ab iisdem, ib. cautelæ in terræ alienatione, 125. quibus casibus licet alteri conjugum alterius terram vendere, 135. dùm quis hæreditatem, alter aliam prætendit terræ acquisitionem, 134. parentes senescentes ut terram suam liberis, vel consanguineis pro alimento possunt offerre, 136. 137. 138. lis inter duas villas de terra ut decidenda, ib.

Testes ante depositionem testimonij tenentur semper jurare, 233

Tributarius ut liber fiet, & vice versâ, p. 61.

Tutela pupillorum & orphanorum. 92. si Tutor minus idoneus, 93

Venatio prohibita in campis Regijs, p. 75. quorum animalium alibi, & quandò licita, 169. 170.

Venditionis & emptionis cautelæ, 122. 125.

Venano nocentis pœna, 269.

Viæ quàm latæ & quomodò ducendæ, 141. pœna antiquas abolentis, vel aliò minùs compendiosè ducentis, 142, 145

Villarum nova designatio ut justè instituetur, 141. villæ restauratio, 194

Vindicta non sumenda post litis transactionem, 244. nec post datos. sponsores, 245. neque aliquâ mulctæ solutione factâ, ib. si vindicta insonti contingat, 246. vindicans contra Sententiam Regis, vel in procedentem juridicè contra se, 250.

Violentia in agro vel prato illata proprio, 25.

Violentia in propriis ædibus, 239. & in alienis, 240. fugienti ad alienas ædes illata, 241. si animo lædēdi quis alienas ædes intret, non tamen lædat, ib. aut leviter lædat, vel ostia frangat, ib. si vim

vim inferre tentans lædatur, 242. 244. si evocatus extra ædes lædat vel lædatur, ib. qui redit armis acceptis & sociis in ædes alienas illic damnum inferens, 243. violans mulierem, 246. si ab illa occidatur, ib. violenter aliquem extrahens de suis ædibus, ligans, 251. violati juramenti Regij omnes conspirantes plectuntur, ib. illius executio vel absolutio, 254. nec mulier, nec minorennis contra illud delinquunt, 255. Violentia quàm citò judici proponenda, aliàs vim suam amittit, 77.

Viro non quæritur jus in bona immobilia mulieris per nuptias, 55. nec uxori in bona viri, 260. 51.

Virginem deflorantis pœna, 81. si duxerit non punitur, 304.

Vsurpans rem alienam invito domino,

Vulneraus voluntariè si ignoratur ut indagandus, p. 303. & 304. vulnerans & spolians vulneratum, ib. vulnerans duello, ib. & 307. exitus vulnerationis per annum expectandus, ib. tamdiu vulnerans geret curam vulnerati, 310. si vulneratus ad Ecclesiam vel Placitum accedere nequat, 308. si mulier vulnerat aut vulneratur, 310. si vulneratus moritur post solutam mulctam à vulnerante, 311. vulnerans in agro proprio vulnerat, ib. si vulnerare volens vulneretur, ib. si minorennis vulnerat, & quis mulctam ab illo accepturus, 312. si vulnerans est vagabundus, p. 291. vulnerans fortuitò, 313. unde sequitur membri contractio vel deformitas. 314. si ejaculatio fortuito lædat, 315. si lædatur ab armis non invenientibus priùs obstaculum, 316. vulnus absque manu quod dicitur, ib.

Vxori non licet quid vendere sine mariti scitu, 207. illius bona separanda cùm vir mulctandus, & vice versâ, 225. 251. 255. 91. nec marito licet illa permutare sine uxoris assensu.

Errata,

Solà Typographi negligentiâ commissa hoc opere, hac ratione & propensione, Lector candide, posco corrigas.

PAgina 6. versu 12, Leg: Ad. p. 9. v. 1. l. jure Ecclesiastico. p. 10. v. 8. l. præmonitionem. p. 16. v. 1. l. X. oras. p. 17. v. 1. l. jure Ecclesiastico, p. 24. v. 14. l. furiosus, p. 28. v. 9. l. retia. p. 35. v. 6. l. testes. p. 44, v. 1. l. Regali. p. 54. v. 19. l. sequetur. p. 59. v. 16. l. australi. p. 63. v. 15. l. redimere. p. 75. v. 4. l. debitor. p. 78. v. 4. l. cum ipsius adversario. p. 82. v. 4. l. tamen. p. 91. v. 22. l. nuptiales. p. 96. v. 12. l. illis. p. 114. v. 8. l. unus. p. 124. v. 8. l. faceret. p. 125. v. 4. l. permutatio. p. 132. v. 5. l. cades. p. 142. v. 15. l. ad Ecclesiam ducens. p. 157. v. 22. l. jumentum. p. 162. v. 3. l. aquis. ib. v. 7. l. extra id tempus quo pisces. p. 171. v. 18. lege sylva. p. 182. v. 5 l. depauperetur. p. 199. v. 6. l. quilibet. p. 200. v. 18. l. fera. p. 202. v. 8. l. nemo. p. 205, v. 16. l. aurifabro. p. 210. v. 10. l. pluris. p. 245. v. 1. l. violati. p. 247. vers. 19. l. super terram mobilia. p. 264. v. 1. l. De jure circa pœnas capitales. p. 270. v. 1. l. circa pœnas capitales. p. 284. v. 4. l. quidquid. p. 282. v. 17. l. banniri. p. 289. v. 11. l. laicus. p. 290. v. 1. l. circa homicidia voluntaria. p. 293. v. 16. l. pœnaq; est & XX. p. 304. v. 2. l. excepti. p. 309. v. 9. l. fuerunt. p. 341. v. 15. l. moriatur: Errata similiter in numeris marginalibus subindè admissa, eadem benignitate, Lector, corrige & vale.